DISQUISITIO
PATHOLOGICO-MEDICA
INAUGURALIS

DE

# SEMINIIS MORBORUM.

# DISQUISITIO PATHOLOGICO-MEDICA INAUGURALIS

DE

# SEMINIIS MORBORUM,

*QUAM*,

ADJUVANTE DEO TER OPTIMO MAXIMO,

*Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI*,

HIERONIMI DAVIDIS GAUBII,

MED. DOCT. MED. CHEMIAE ET COLLEG. MED. PRACT. IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII, ACAD. IMPER. PETROPOL. SOCIET. REG. EDINB. NEC NON SOCIET. SCIENT. HOLLAND. ET ZEELAND. UT ET PHYS. EXPERIM. ROTTEROD. MEMBRI, SERENISS. AC CELSISS. FAMIL. ARAUS. ET NASSAV. ARCHIATRI, ETC. ETC.

NEC NON

*Ampliſſimi* SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, &
*Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, rite ac legitime conſequendis,

DEFENDET

JOANNES RÔBOL,

AMSTELODAMENSIS.

*Die* XVIII. *Februarii* CIƆIƆCCLXXIV. *H. L. Q. S.*

*LEIDAE*,
APUD ANDREAM COSTER, MDCCLXXIV.

*In patiente diſpoſito agentium actus recipiuntur.*

ARISTOTELES Lib. II. de Animalibus Cap. 2.

&

*Nulla cauſſa ſine corporis aptitudine agere poteſt.*

GALENUS de Febribus Lib. I. cap. VI. CHARTER. Tom. VII. pag. 112.

FRANCISCO RÔBOL

PATRI OPTIMO,

NEC NON

HIERONIMO DAVIDI GAUBIO

VIRO SUMMO

SACRUM.

# PROŒMIUM.

## L. B. S.

P*onit* Botanicorum facile omnium Princeps (*) *hominem ſcriptorem, inter ultima ætatis ſtadia; leges contra Academicæ, Palladis alumnum in primis jam annorum periodis auctorem fieri jubent, quem factum in ultimis forſitan pigebit. Neceſſitate itaque coactus, hanc primam meam Rei Medicæ publicam lineam, de* MORBORUM SEMINIIS *conſcripſi; cujus fundamenta, me, aureis Illuſtrium Præceptorum,* GAUBII *præprimis* & VAN DOEVEREN, *prælectionibus debere, lubens grato animo recordor,*

(*) LINNÆI Amœnitates Acad. Vol. VII. diſſert. de Metamorph. Human.

*dor, imo & profiteor. In diviſione* Seminiorum *Magnum* GAUBIUM *pro maxima parte ſum ſequutus. Poſt brevem ergo de* Morbi Cauſſa *introductionem, primo agam de* Seminiis Morborum in genere; *porro de* Seminiis Naturalibus Communibus; *deinceps de* Naturalibus Propriis; *tandemque de iis, quæ ſunt* Præter Naturam.

*Id tantum rogo, ut ſi qua in re* DISQUISITIO *hæc deficiat, eam B. L. ſubſtituat; ſin vero non arrideat cuipiam, ſciat, omnes non eadem ratione cogitare; quibus fiſus, quæ ſcripſi, qualiacumque ſint offero.*

# DISQUISITIO PATHOLOGICO-MEDICA DE SEMINIIS MORBORUM.

## INTRODUCTIO.

§. I.

Morbus cum ſit affectio corporis humani vivi, actiones, ad ſanitatem pertinentes lædens, poſſitque adeſſe aut abeſſe, inter res non neceſſarias vel contingentes referri debet.

§. II. Pro ingenio igitur contingentium, requiritur alia res, cujus vi exiſtat morbus, quæque ideo ejusdem cauſſa dicatur.

§. III. Morbus hinc effectus eſt ex determinata cauſſa ſua fluens, qua præſente ponatur, durante duret, ablata & ipſe tollatur.

§. IV. Unde ſequitur Medicorum eſſe in cauſſas morborum in-

quirere, ut cognitis tollendis remedium invenire queant, quo & morbos, ex illis fluentes, una tollant.

§. V. Quum vero ſcientia Medica extra naturæ pomœria non evagetur; & morbus ejusque cauſſa non ultra a Medico conſiderari poſſunt, niſi in quantum naturæ viribus continentur.

§. VI. Eſt itaque morbus ad forum Medicum pertinens, effectus Phyſicus cauſſæ determinatæ Phyſicæ.

§. VII. Omnes autem effectus Phyſici habent cauſſam compoſitam ex duabus conditionibus Phyſicis, quarum altera eſt potentia agens, altera materiæ, in quam agit habilitas. Si potentia agens in materiem inhabilem producit effectum, qualem in habili producere potuiſſet, is effectus non eſt Phyſicus, ſed Hyperphyſicus. Morbos verbo ſanare; Lepram inferre; mortuos reſuſcitare; baculo ferrum e fundo aquæ absque contactu attrahere, ut in ſummum enatet; & ſimilia, recte miracula dicuntur, naturæ viribus ſuperiora. Contra, ut Chemicus Calcem Vivam efficiat, non ſufficit vehemens ignis, qui ſi in Silicem, Vitrum, Metallum, Lignum, cet. agit, quippe materias inhabiles, nunquam deſideratum effectum obtinet: obtinet demum, ſi igni ſubminiſtraverit materiem calcaream, Conchylia & his ſimilia. Ovum ſubventaneum fruſtra gallinæ incubanti ſupponitur. Nec ex ovis gallinæ anates, nec ex anatum ovis gallinulæ ope caloris excluduntur. Quod ipſum etiam plantarum ſemina teſtantur, quæ dum telluri fertili committuntur, non quamvis in plantam, ſed in illam germinant ſpeciem, ad quam a natura appropriata ſunt.

§. VIII. Par ratio eſt cauſſarum morbificarum. Conſtant & hæ non ſola potentia agente, ſed accedat oportet corporis in quod agunt aptitudo ad actionem ejus ſic excipiendam, ut determinatus effectus, id eſt, morbus conſequatur. Videas propterea graſſantibus Epidemicis non omnes affici homines; non omnes quibusvis contagioſis; non quasvis gravidas terrore, ira, cet. abortum facere; tepore verno plethoricis morbi imminent, juvantur exhauſti. Tædet

det plura afferre exempla in rem ab omnibus Medicis omni tempore agnitam.

§. IX. Unde & profecta eſt recepta in prima disciplinæ Medicæ conſtitutione & nunquam controverſa partitio cauſſarum morbificarum in Prædisponentes & Procatarcticas vel Occaſionales, non alio nixa fundamento, quam quod propoſui. Prior nimirum notat habilitatem corporis ad ſuſcipiendum morbum, ſi poſterior illud invaſerit. Ambæ concurrentes cauſſam morbi Veram, qua poſita morbus, ejus effectus ponitur, conſtituunt. Neutra ſola ſufficit, neque adeo proprie vocari cauſſa morbi poteſt; ut qui vel prædisponente, vel procatarctica ſola poſita nequaquam efficitur.

§. X. Viſum idcirco dilectiſſimo Præceptori meo Gaubio in Inſtitutionibus ſuis Pathologicis, prætermiſſo cauſſæ nomine, utramque potius *Principia morborum* appellare (*a*): quemadmodum Chemici Principia corporum mixtorum vocant illas materias diverſas, ex quibus coeuntibus corpora naſcuntur, & quarum ſingulæ ſeorſim, niſi mutuo commixtæ fuerint, datum corpus neutiquam faciunt. Principia porro partitur in duos ordines, alterum cauſſarum, quæ vulgo *Prædisponentes* audiunt, quas autem nomine congruo magis Seminia vocat (*b*), alterum *cauſſarum Procatarcticarum*, quæ ipſi nomine POTENTIARUM NOCENTIUM veniunt (*c*).

§. XI. Quæ quidem doctrina cum magnam lucem affundat Practico in eruendis recteque intelligendis cauſſis veris morborum; operæ pretium duxi pro materie hujus diſſertationis deligere alterum, qui *Seminia* morborum complectitur, ordinem; ſummi Præceptoris filum ſequuturus. Prius autem videndum quid ſit *Seminium?* quid *Potentia nocens?*

DE

(*a*) §. 74. (*b*) l. c. (*c*) l. c.

§. XII. *Seminium* per metaphoram a ſemine Plantarum ſuum ſortitur nomen; hoc in ſcriniis per annos ſervatum non germinabit, terræ vero fertili commiſſum, læte excreſcet in plantam matri ſimilem. Semen illud in ſe quidem aptitudinem habet ad vegetationem, ſed requiritur inſuper ut terra humoresque idonei accedant, plantamque prorumpere faciant: eodem modo Seminium morbi vel Prædiſpoſitio, tamdiu in noſtro corpore latet; donec ſecundarium quid adveniens Seminio vim ſuperaddit, ut illico morbus oriatur.

§. XIII. Recte itaque *Seminia* vocantur: DISPOSITIONES QUÆCUMQUE CORPORI INSITÆ, QUÆ MORBORUM GENERATIONI FAVENT, SICUBI POTENTIA NOCENS ANALOGA ACCESSERIT (*a*).

§. XIV. Ne autem quis putet omnia hæc Seminia conſiſtere in quadam materie morboſa, quæ in actum deducta morbum producit, hic tale quid volo, quod ſemper materiale non eſt, nec ſemper in malum corporis cedit, ſed quandoque homini quam maxime naturale eſt, licet non raro præternaturale quid ſubeſſe poterit. Exemplo rem illuſtremus: Ponamus hominem ſeptuagenarium collum habentem curtum, caput magnum, intereſſe convivio; multum ibi commedit, largam vini generoſi quantitatem ingerit, ſanguis hinc rareſit, volumine augetur, Apoplecticus procumbit, dum cæteri convivæ, nihil inde mali habent; quare? quia noſter tali fuit ætate, tali natus eſt conformatione corporis, quibus omnibus ad hunc ſpecialiter diſponitur morbum; Seminia hæc tantum hac occaſione in actum deducuntur, dum cæterum ei neutiquam nocuiſſent. Difficilis digeſtionis cibi, non in omnibus febrim excitant, dura enim meſſorum Ilia hos ferunt, ſed debili ventriculo languens Puella, peſſime illis afficietur. Vidit illud jam ſuo tempore & pulchre expreſſit GALENUS, dum de Febribus agens monuit, *quod nulla cauſſa ſine corporis aptitudine agere poſſit, alioquin omnes qui in ſole verſantur æſtivo febricitarent, & qui plus æquo moventur, aut vinum bibunt, aut iraſcuntur, aut mœrent,* &c. (*b*). & alibi;

(*a*) Inſtitut. Pathologiæ Medicinalis Celeb. GAUBII §. 75.
(*b*) De Febribus Lib. I. cap. VI.

alibi; *Corpore noſtro* inquit *ad morbos quaſi præparato, externum quoddam adveniens Febrim accendit, quod ex ſe morbum vehementem minime generaret, cet. & propter corporis diſpoſitionem unumquodque horum non morbi cauſſa ſed occaſio redditur* (*a*).

§. XV. Illud vero quod *Seminio* vim ſuperaddit, dicitur *Potentia Nocens*, termino a Mechanicis deſumpto. Exemplum ſit vectis, in qua conſideramus, I. Pondus ſuſtinendum aut elevandum, II. Potentiam qua susſtinetur aut elevatur, III. Fulcrum, id eſt illud, quo vectis susſtinetur, aut ſuper quo movetur vel potius rotatur, dum ipſum immobile manet. Pondus hic diſpoſitum eſt ad elevationem vel ſuſtentationem, non vero elevabitur, vel ſuſtinebitur niſi potentia accedat vel manus hominis; ſimile quid in morbis obtinet, tacent conditiones, donec accedat Potentia, quæ cum Seminio concurrens, ſtatim morbum producit. Lucem addam exemplo ex Chemicis petito. Chemicus *Tartarum Vitriolatum* parans, in vaſculum vitreum infundit *Acidum Vitriolicum*, addit dein *Oleum Tartari per deliquium* vel *Alcaheſt* Glauberi, naſcitur effervescentia, acidum enim & Alcali, mutuò ſe trahunt, mutuosque in amplexus ruunt; ſalem tunc ſuum examinans, deprehendit nec Acidum, nec Alcalinum, ſed Neutrum, ex Acido Alcalique conflatum, uno verbo habet Tartarum Vitriolatum. *Acidum Catholicum* receptivitate gaudebat aut quaſi *Seminio*, quam primum vero affuſum fuit *Alcali Fixum humidum*, uno momento natus eſt *Tartarus Vitriolatus*, qui absque Acidi Vitrioli & Alcali conjunctione natus haud fuiſſet. Sic nec Potentia nocens efficax eſt, niſi inciderit in corpus receptivitate præditum, nec Seminium in morbum erumpit, niſi vi quadam analoga excitetur.

§. XVI. Cum vero Prædispoſitio ad omne morborum genus generalis non detur (quod nemo negabit) ſinguli morbi ſpecialem ſuam agnoſcunt. C. H. in genere tantum noſcimus, nunquam cum certitudine in ſpecie; quilibet fere hominum ſibi priva & propria quædam habet, quoad Ætatem, Sexum, Temperamentum, præcipue autem quoad vitæ genus & Idioſyncraſiam, quæ tecta & abdita a priori cognoſci nequeunt. §. XVII.

(*a*) Comment. 4. in Hippocrat. de Victu acutor.

§. XVII. Abunde ergo & ſponte in oculos cadit, quantæ utilitatis ſit pro Medico vere Dogmatico hanc Seminiorum doctrinam intelligere, eo quod in indagandis morborum cauſſis, non tantum reſpiciendum ſit ad *Occaſiones*, vel *Potentias nocentes*, ſed & præcipue ad *Seminia*; confert nimirum hoc dogma non modo ad cognitionem morbi, ſed & ad curationem neceſſaria eſt; ſi etenim Medicus penitus eradicare vult morbum, profuganda etiam cauſſa, hæc vero conſiſtit in Occaſione non tantum, verum & in Seminio. Ad Leucophlegmaticum V. Gr. vocatur Practicus, videt hominem hunc abuti potibus aquoſis, videt illum degere in loco humido, frigido, videt eum tantum alimenta ingerere aquoſa, qualia ſunt herbæ, legumina &c. protrahere ſomnos longiores; hæ utique ſunt potentiæ nocentes, verum nonne quoque ad Temperamentum ejus Phlegmaticum, ad carnes ejus laxas, cet. attentio dirigi debet? absque dubio! in illo etenim Temperamento Seminium aliquod eſt ut poſtea latius patebit, nam niſi in ſuis indicationibus curet, ut per convenientia remedia corpus illud roboretur, circulatio humorum augeatur, forte quidem Leucophlegmatiam pro tempore vincet, minime vero morbum funditus evertet.

§. XVIII. Quemadmodum *Potentiæ nocentes*, vel *Occaſiones* innumeræ ſunt & multifariam diſcrepant, ſic & *Seminia*. Docet hoc quæ hæc inter & illas requiritur mutua affinitas, magnaque morborum caterva quam vi unita producunt; ordo ergo exigit ut in quasdam diſpeſcantur claſſes. Ad normam dilectiſſimi Præceptoris Gaubii Seminia divido in *Naturalia* & *Præternaturalia*. Differt porro hac in diviſione *Pathologorum ille facile Princeps* a plerisque ſyſtematicis, qui tantum de *Præternaturalibus* fuere ſolliciti. Quum enim merito *Phyſiologia* veluti alter oculus totius Medicinæ ſalutetur, (quamnam enim ideam habebit Practicus ſtatus ægri, qui nullam habet cognitionem ſani hominis?) & præterea morbus conſiderari debeat ut effectus Phyſicus, ad quem præter potentiam nocivam, Seminium concurrat neceſſum eſt, in ſtatu naturali etiam Seminia ponenda, hinc merito Naturalia vocantur; ſic mors plerumque dicitur præternaturalis, ſed certo ſenſu non magis naturale eſt vivere, creſcere, ſanitate gaudere,

re, quam morbo laborare, decreſcere, mori;

*Naſcentes morimur, natique hac lege ſalebras*
*Mille per horrentes, mortis adimus iter* (*a*).

ipſa vitæ quippe activitas, ipſa corporis noſtri conſtitutio, quæ continuo deteritur, morbum & mortem æque naturalem reddit homini quam vitam, hocque ſenſu Hippocratis effatum aſſumi poteſt, *totum hominem, ab ipſo ortu morbum eſſe* (*b*). Nonne hinc ſequitur primævos homines ante lapſum ex conſtitutione ſui corporis mortales fuiſſe, (poſitis nempe iisdem conditionibus, quibus nos utimur, eodem vitæ genere, eadem œconomia cet.), *Arborem* autem *Vitæ* detrita & amiſſa reſarciviſſe? Ita videtur (*c*). Ne autem meam in alienam meſſem immittam falcem, propius Seminia conſiderabo, & quidem primo *Naturalia.*

§. XIX. Seminia Naturalia *ſunt affectiones quæ homini ſecundum naturam inſunt, ipſisque vitæ ac ſanitatis principiis neceſſario innexæ, quibus fit ut C. H. non quarumvis potentiarum impreſſioni reſiſtere, eoque nomine etiam naturaliter ad morbos diſpoſitum dici queat* (*d*). Seminia autem hæc vel *Communia* ſunt, vel *Propria*, de quibus ordine.

## SEMINIA NATURALIA COMMUNIA.

§. XX. *Per Seminia naturalia communia* intelligo *conditiones quæ ubique & ſemper in omni homine obtinent, & irradicata ſunt, ita ut ſine his ſua munia explere haud poſſit.*

§. XXI. Harum conditionum plures dantur, en præcipuas.

*C. H. partium cohæſio nexusque haud inſuperabilis.* Si totum corpus ex Adamante conſtaret, nulla certe inſtrumenta lacerantia, ſcindentia &c. nos vulnerarent, omnibusque potentiis contundentibus, pre-

(*a*) Leidenſis Horatius in carmine Elegiaco de morbis ætatum, pag. 3.
(*b*) Epiſt. ad Damaget. pag. 1284 Edit. Foëſii. (*c*) Geneseos cap. III. Commat. 22. (*d*) Gaubius l. c. §. 607.

prementibus reſiſtere pares eſſemus, provida vero Natura C. H. ſic efformavit ut ſe moveret, flecteret: hinc ex mollibus & durioribus ſimul conſtamus, imo ad noſtra munia peragenda, requirebatur, ut oſſa corporis noſtri Articulationum ope invicem necterentur, illarumque præſentia ubique deſiderabatur; immenſo idcirco artificio D. T. O. M. ſic hominem fabricavit, ut, dum ſtabilitatem ſuæ machinæ ab oſſibus haberet, attamen illis ipſis pro lubitu uti poſſet, atque innumeras motus ſpecies illis exercere.

Præterea durum corpus os eſt, injuriam vero inferat vis percutiens, pungens, ſecans, tundens, cohæſione oſſium major, frangitur. Sic molle eſt Cerebrum quod Adorandus *Naturæ* Auctor Cranii ollæ in clufit, quæ ſcuto quidem inſervit, ſaxoſa vero duritie nequaquam gaudet, cadat lapis vel aliud corpus ponderoſum ab alto, frangitur Cranium, Cerebrum comprimitur, homo Apoplecticus ſtatim humi procumbit, letumque oppetit. Parietes qui Abdomen circumdant pro maxima parte molles ſunt; Peritonæum quod intus ſuccingit natura tenax quidem at maximam diſtenſionem admittit; Viſcera Peritonæo contenta multa ſunt, laxa & mobilia, ſuaque mole premunt; hæc omnia, ut in ſanitatis ſtatu ſeſe habent, conſideranti mirum nequaquam videbitur, continuum hic fere dari niſum ad erumpendum ex coërcente ſuo ſacco, qua data porta, aut ad eundem dilatandum; fateor quidem Muſculos, Aponeuroſes, Oſſa, cet. Peritonæi fulcire membranam, ſicque æquilibrium dari; ſin vero in aliqua parte ſua vi deſtituitur, aut contentorum impetu, aliove modo extrorſum truditur, cedens in apendicem dilatatur cavam: vicinæ tunc partes de ſuo cavo emigrant atque extra Abdominis peripheriam ſeſe effundunt (*a*). Hic ortus *Herniarum Abdominalium* quam maxime naturalis. Plura de Fracturis, Luxationibus, Cartilaginum atque Epiphyſium ab oſſibus ſeceſſionibus, πτώσει &c. addere poſſem, dicta vero ſufficiant, lectorem interim mittens ad inauguralem Diſſertationem Doct. Willet (*b*).

§. XXII. *Humorum multitudo, & craſis facile mutabilis.* Præter fir-

(*a*) Gaubii Patholog. §. 231. (*b*) De Fonte naturali Morborum. L. B. 1769.

firmas partes in C. H. etiam dantur humores, quibus hæ undique perfuſæ ſunt; manifeſtum fit ſi conſiderantur ſenſu Chemico, analyſis etenim Chemica demonſtrat liquidorum copiam longe ſuperare ſolida. Partes animalium igne toſtæ relinquunt paucos cineres; & in duriſſimis animalium partibus, ubi nemo præſentem ſuſpicaretur aquam, incredibili copia hæret; dum ſicciſſimum *Ebur*, vel quæ per annos latuerant in officinis *Cervorum Cornua* aridiſſima, ex retortis vitreis deſtillantur, magna pars volatilis fit, inque Excipulum tranſit, & magna copia aquæ ſic exprimitur. Fluidis certe ad exequenda vitæ & ſanitatis munia, haud minus indigemus quam firmis partibus; ex Phyſiologia hoc manifeſtum redditur. Dummodo conſideramus illa quæ accidunt crudis ingeſtis, antequam in noſtros convertuntur humores, videmus ingentem liquidorum humanorum copiam illis admiſceri. Inter manducandum *Saliva* & *Mucus Oris*, *Linguæ*, *Palati*, *Faucium*, cet; in *Ventriculo ſuccus Gaſtricus;* inde exeuntibus utraque *Bilis;* ingens *Pancreatis Latex*; in omni *Inteſtinorum* puncto, novi admiſcentur, jam per fabricam corporis elaborati humores; ſubtiliſſimis *Fiſtulis Lacteis* receptus *Chylus Lymphæ* copia ingenti diluitur; in *Ductu Thoracico* totius fere corporis *Lympha* reduce perfunditur; ex hoc tandem guttatim in *ſubclaviam venam* deductus *Chylus* integro *ſanguinis* torrente abripitur. Enumerati hi pluresque alii ſucci quos recenſere ſupervacaneum foret, non ex ſola conſtant aqua, ex talibus vero principiis, ut levi ſæpe de cauſſa craſis illorum mutetur; unum alterumve exemplum lucem afferre poterit. Lac quamvis optimum, ſi ſtagnat, *Cremorem* album, craſſum pingue ejicit ſurſum, infra manet *Lac*, *defloratum* dictum, ſubcœruleſcens, pellucidius, & tenuius; aceſcit dein imprimis in aëre calido, & grumoſum fit. Si Lacti miſcetur *Coagulum*, in æquabilem, coagulatam, ſciſſilem abit maſſam, quæ brevi ſecedit in *Serum* & in *Coloſtratum* ſive *Caſeoſum*. Si *Acidum* affunditur ſtatim grumeſcit & coagula format, altera *Lactis* parte remanente fluida. Quacumque ergo de cauſſa Lac ſtagnat in *Mammis*, ejus metuenda eſt degeneratio & coagulatio; docet *Serum* tenue ex *Papillis* fluens, manente *Mamma* æque tenſa, dolente, tumida, dum omne grumoſum retinetur. Sic in Sanguine hominis etiam ſaniſſimi, naturalis ad concretionem obſervatur proclivitas; de vulnere etenim miſſus, puro frigidoque pelvi ex-

B ceptus

ceptus frigore & quiete abit in placentam ſolidam circumfluente ſero; ſi igitur in C. H. accedit auctus motus per vaſa, ſanguis exſiccatur, difflato aquoſo, Diatheſin induit inflammatoriam, facile concreſcit, reſolvitur in ſales, oleaque volatiliora & acria (*a*). Sic *Veneni* ſuſcepti minima moles, ſæpe ſpatio dimidiæ horæ corpus illud idem in generalem vertit putredinem, (ſolidis non minus quam fluidis ſua cohæſione deſtitutis) quod forte per centum & ultra annos, ſponte ſe ab illa ſervaſſet. Proſtant ſtupendi Venenorum effectus, vixque credibiles, niſi optimi obſervatores illos deſcripſiſſent: inter cætera quæ proferuntur exempla, illud præcipue eminet, ad crus, a *Vipera Caudiſona*, demorſæ Puellæ; invanum Chirurgus confeſtim advocatus amputationem tentabat, putredo quippe jam adeo totum perreptaverat corpus ut intra dimidiam horam vitam cum morte commutaret (*b*). Maxima quandoque ſimilitudo inter optima medicamenta, lethiferaque datur venena, quæ utcumque unico gradu ab invicem differre videntur. Memorabile id de *Opio* exemplum docuit, quod miros vixque exſpectatos edidit, in corpore cujusdam Juvenis *Cophtæ* effectus; huic ſodales inſcio, drachmam *Opii* Vini cyatho diſſolutam propinaverant. Aliquot horas poſtea, peſſime delirabat, poſt profundo jacuit ſepultus ſomno. Sequenti mane erat ſine pulſu, lividus, moribundus, tandemque expiravit. Quindecim horis poſt *Opium* aſſumptum, tumores magni, lividi, brachia & femora deturpabant, cum fœtore intolerabili. Ob putredinem centeni Feles undique turmatim concurrunt, qui cadaver tanta cum aviditate lingebant, ut certo certius devoraſſent, ni verberibus repulſi fuiſſent (*c*). Aliorum Venenorum deletilis poteſtas, vaſa conſtringit, humores inſpiſſat, qualia ſunt ſtiptica & vehementiſſime adſtringentia, *Acida foſſilia*, *Alcohol* & ſimilia. Humores autem noſtri perpetuum niſum habent in putredinem, putreſcibilitas enim animalitatis character eſt, tota ratio noſtræ vitæ ad illam diſponit; dum homines utuntur vegetabilibus potius in *Acidum* quam in *Alcali* vergentibus, nonne tamen fæces habent putridas? poſſem & hic comme-

(*a*) Divi Boerh. Aphor. de Cognoſcendis & Curandis morbis, §. 100.
(*b*) Confer. Memoires de l'Acad. des Sciences. 1737. pag. 202.
(*c*) Hiſt. de l'Acad. des Sciences. 1735. pag. 5.

memorare *Cacochymias*, *Cachexias*, *Calculum Veſicæ*, *Polypum*, aliaque hujusmodi mala a fluidorum degeneratione ortum ducentia, dicta vero ſufficiant.

§. XXIII. *Canalium numerus*, *ſubtilitas*, *implicatio.* Demonſtrant Phyſiologi Vaſorum numerum eſſe immenſum; univerſum equidem corpus humanum, exceptis pauciſſimis membranis, arterias accipit, eæque per celluloſam telam progrediuntur. Sic *Aorta* maximum vas, per injectiones demonſtratur conſtare membranis, ex minoribus vaſis, ſed adhuc ſatis perſpicuis, conflatis; horum vaſorum, *Aortæ* membranas conſtituentium membranæ, iterum aliis minoribus atque minoribus conſtant vaſculis, & ſic porro donec ad ultima perveniatur. Quas olim ſimpliciſſimas & ſolidas membranas dicebant, innumeris conſtare vaſculis, docuerunt arte ſua viri in Anatomicis Principes, Ruisch atque Albinus (*a*). Nondum tamen reperta ſunt vaſa in *Arachnoidea membrana Cerebri* & *medullæ Spinalis*, in *Epidermide*, *Unguibus*, *Pilis* (bulbo excepto,) & *Funiculi Umbilicalis* membranis (*b*). Horum autem vaſculorum implicatio tanta eſt, ut licet vel acutiſſima ſpinula Cuti infigatur, vaſa tamen lædat, quod docet ſanguis de parvo illo vulnusculo exiens. Senſim autem latera hæc minimorum vaſorum ſibi invicem applicata cavitatem deſtruunt & fit membrana, ſed craſſior & fortior; hinc in decrepita ſenectute robur ſolidorum fit immenſum, & tandem, cum nimis reſiſtentes canales non patiantur ſe amplius extendi, placidiſſima fit in ſummo ſenio Mors. Quo autem major vaſorum numerus in aliqua parte datur, eo illius major laxitas, quo ſubtiliores ſunt canales, eo minor reſiſtentia, quo magis implicantur, eo numero plures ſunt, quam ſi rectæ eſſent vel parum inflexæ. Luce ergo meridiana clarius eſt, C. H. & hoc reſpectu potentiis vulnerantibus, prementibus, contundentibus, cet. reſiſtere nullo modo poſſe quin ſanguis effundatur, ſtagnet, vel in alienum colligatur cavum, unde *Hæmorrhagiæ*, *Obſtructiones*, cet. Præterea innumeræ ramificationes, & ſubtilitas minimorum

(*a*) Vid. B. S. Albini Annot. Acad. Lib. III. Cap. I. & Ruysch Epiſt. III. Tom. III. F. 1. 3. (*b*) Vid. Summi Halleri Element. Phyſiolog. T. I. pag. 75.

rum vaſorum, eorum implicationes & contorſiones, uberrimum fontem præbent *Obſtructionibus* ut unicuique manifeſtum redditur. Si Hypotheſi Boerhavianæ faverem, hic adducere poſſem diverſas vaſorum ſeries (*a*). Secundum hanc theoriam, ultimus finis *Arteriæ rubræ*, foret *Arteria ſerifera*, hujus vero finis *Lymphæfera*, quia partem ſeri tenuiorem tantum admitteret. Dum jam a quacumque cauſſa diameter vaſculi lateralis, ex majore vaſe orti augeretur, v. gr. per ANASTOMOSIN *Arteriæ ſeriferæ* ex *Arteria rubra ortæ*, poſſet globus ruber dilatatum principium *Arteriæ ſeriferæ* ingredi, ſed in canali conico aucta ſemper reſiſtentia ob anguſtiam, brevi hæreret, nulloque modo per ultimos fines *Arteriæ* transire poſſet: nataque ſic eſſet obſtructio, cum moles particulæ transfluxuræ, capacitatem vaſis transmittentis excederet, vocatur autem hoc *Error Loci.* Quum autem hæc de vaſorum ſeriebus doctrina ab hodiernis Phyſiologis non adeo admittatur (*b*), nec ego illi inhærebo; hoc tamen certum, minora ſanguiferis dari vaſcula, quæ ſanguinis craſſamentum in naturali ſtatu non adeo admittunt, patet dum poſt validum motum animalem, cachinnationem, vel præ pudore tota facies rubet. Aliud exemplum habemus in Ophtalmia, dum globuli rubri in *Tunicæ Conjunctivæ* vaſa usque penetrarunt, in quibus lex ſanitatis non aliud quid requirit quam Lympham, ut ſplendor Margaritarum inſtar demonſtrat (*c*). Jam vero ad aliud transeamus *Seminiorum Communium* genus.

§. XXIV. *Superficies corporis undique meatibus patens.* Noſtris gaudemus meatibus per quos ingerimus, egerimus, quibusque absque ſanitatis diſpendio carere non poſſumus. Per *Os* alimentis & aëre veſcimur, per *Nares* ſpiritum attrahimus, per *Aures* ſonos; æque neceſſaria ſunt *Vaſa exhalantia*, *bibula*, cet. patent ergo hi ſimilesve meatus, quibusvis fere nocivis potentiis. *Aër*, *Aqua*, *Tellus*, animantibus undique plena; alimentis opus eſt ut amiſſa & detrita reſarcirentur; horum plurima, aëri expoſita, *Inſectorum* ovis referta, quæ

(*a*) BOERH. Aphorismi §. 118. & VAN ZWIETEN Comment. in hunc Locum Tom. I. pag. 179. (*b*) Vid. Sagaciſſimi HALLERI Elementa Phyſiolog. T. I. pag. 113. multique alii a ſummo Viro citati Auctores. (*c*) Vid. HUXHAM Proeven over de Koortſen, I. hoofdſt. bladz. 3.

quæ una cum illis ingeruntur, atque calore Ventriculi & Inteſtinorum fota excluduntur; imo nonne *Fructus Horræos* toties verminoſos invenimus? *Caſeus* ſæpe vermiculis minimis non tantum, ſed etiam majoribus ſcatet, uti notum eſt de Caſeo illo, noſtratibus adeo familiari, qui a loco natali, qui *Inſula* TEXEL eſt, nomen ſortitur. Cl. HANNES *Medicus Veſalienſis* deſcribit *Epidemiam*, quæ originem trahebat a piſcibus illis fumo induratis, (eſt ſpecies *Clupeæ* ARTEDI) quos Belgi *Bokkings* vocant; hiſce ROMANO-CATHOLICI *Quadrageſimali* tempore multum ſe nutriverant (*a*). In Locis autem calidioribus *poris* magis hiantibus in ipſam cutim ſe inſinuant vermes, qui ad membranam adipoſam pervenientes, variis ſymptomatibus hominem obnoxium reddunt. Habentur talia Animalcula in JAMAIKA, ZEK vocantur; in CARTHAGENA *Americæ* datur *Colubrilla*, quæ in cutem hominis penetrat, eſt ſpecies GORDII *corpore Filiformi*, Vermes alii in *Aures* (*b*), alii in ipſas *Nares* perveniunt. Via ad *Pulmones* per *Aſperam Arteriam* aëri datur; ſi igitur aër vaporibus nocivis eſt repletus, quantæ inde noxæ? Conſideremus dein integumenta, innumeris *tubulis* vel *poris* hiantia (*c*), per quos *perſpirale Sanctorianum* exit, quo ad ſanitatem multum indigemus, & quo aucto, imminuto, vel ſupreſſo, maximos perſæpe morbos ortos vident Practici; levi autem de cauſſa, frigore v. gr. ſupprimitur (*d*).

§. XXV. *Eſt & in corpore etiam* Ἐνοϱμῶν, *aut incitans aliquid, naturæ corporeæ affine, adeoque extra mentem conſtitutum, corporis vivi pars præcipua, imo forſan ipſa* VITA *dicenda* (*e*). Varii auctores varia

(*a*) Conferri hic meretur Celeb. BOS in pulcherrimo ſuo de *Epidemia Verminoſa* tractatu, ubi plura circa hanc rem lectu digniſſima habentur.

(*b*) Plura pro more ſuo, de *Aranea*, *Gryllo*, *Curculione* aliiſque Inſectorum generibus, collegit Præſtantiſſ. S. VAN DER WIEL in obſerv. rarior. Medicarum &c. Cent. poſterior. Part. I. pag. 92. & ſeqq. (*c*) LEEUWENHOEK qui de illis calculum inivit, dicit, in una *Epidermidis* ſquammula dari 500 vaſa exhalantia, & granum ſabuli tegere poſſe 250 ſquammulas, ideoque in ſuperficie granulum Arenæ æquante, dari 125000 *poros*, per quos quotidie exhalamus. Confer. KEIL *ontleed. des Menſch. Lighaams*, bladz. 15 & 16. (*d*) Ne longus ſim mitto Lectorem ad H. BOERH. Prælect. Acad. Tom. III. §. 526. pag. 419. & ſeq. item de GORTER de Perſp. inſenſib. Sanctor. Batava Cap. 12. pag. 93. item HALLER Element. Phyſiol. alioſque. (*e*) Eximii GAUBII Sermones Academici *de regimine mentis, quod Medicorum eſt*, qui conferantur cum Cap. de *morbis Solidi vivi in inſtitutionibus Patholog.* & cum *meth. concinnandi formulas medicament.* pag. 22.

ria huic principio dederunt nomina; nonnulli vocarunt *Vim Vitalem*, *Principium vitæ*, *Actuoſum*, alii *Irritabilitatem*, cet. Eſt autem hæc proprietas tanti momenti, ut videatur omnium virium motricium, quibus machina animalis aut dirigitur, aut ſuſtentatur, cauſſa. Uti vero per univerſum corpus diffuſum eſt, ita tamen nec in omnibus hominibus, nec in ſingulis partibus, vel conditionibus, æqua pollet agilitate, ſed infinitis quaſi gradibus variat: docet *Idioſyncraſia.* Absque hoc vitali principio corpus iners foret. Hinc profluere videntur cuncti illi motus quos corpus ſponte ſua ignara mente exercet; hoc ſuperſtes facit ut animalium reſectæ divulſæve partes ad contactum irritamenti criſpent; forte ſenſuum motuumque organa ad mutuum mentis & corporis commercium animat; credibile eſt, iſtius potiſſimum principii interventu naturam remedia ad agendum ciere, ab his illud ſtimulari, exinde motuum fieri mutationes majores, minores, aliter atque aliter directas, pro diverſa cum ſtimuli, tum Ἐνορμῶντος ſtimulati ratione, cet. Rem ergo maximi eſſe momenti declarare uno ore coguntur *Phyſiologi* æque ac *Pathologi* propter mirandos qui in ſanitate & morbis ex illa profluunt effectus. Revera, mirabiliter cum ſenſile ſit, nemo non videt Seminium naturale eſſe ſtimulis morboſis, ita ut quandoque a rebus ſuaviſſimis, ab odore V. Gr. Roſarum, Liliorum alborum, Tanaceti, cet. ſpasmi, convulſiones, animi deliquia excitentur; principium inſuper iſtud, a quo tota vita pendet, valde fugax cito evaneſcit, niſi jugiter reparetur; documento ſint Venena *Vim Vitalem* ſæpe prorſus ſupprimentia. Quantus quæſo eſt illorum numerus qui quotannis ab aëre in Fodinis non renovato, ab aëre in cellis ſubterraneis a Gas *Sylveſtri Helmontiano* imbutis, a vapore inſenſibili prunarum, in undique clauſo cubiculo ardentium, morte pœnas luunt? tali quippe in aëre conſideat abſolute ſanus, incidet in animi deliquium, ſi alium non hauriat ſaniorem, animam aget; attamen nulla vis illata eſt ſolidis, nulla fluidis, ſed tantum vi vitali (*a*); ſique

(*a*) Legi hic meretur, *Verhandeling over de oorzaaken der uitdoving van de Vlam eener Waskaars, en van de Dood der Dieren, in een vertrek met lugt vervuld, opgeſloten;* door de Heer Cigna. *Natuurk. Verhandel.* III. Deel, Bladz. 292 en 391.

ſique excitare hanc rurſus volumus, per quam ſtimulantia requiruntur remedia. Idem fer judicium de ſubmerſis in aqua. Quot hodie Cives Patriæ, quot Mariti Uxoribus, quot Parentes Liberis, vivi ſanique reſtituuntur, qui olim miſerrime in littore necati fuerunt! docuit nos docetque adhucdum hodie liberalitate ſua, *Nobiliſſima Societas* AMSTELODAMENSIS, qui revocari queat flammula illa vitæ, olim tantopere neglecta. Non mirum quod tale inſtitutum, (profecto omni encomio majus & quo *Urbs Patria* immortale cluet nomen) per univerſam, quam late patet, EUROPAM laudatum, *Magiſtratus* ſacra auctoritate ubique fere ſequuti fuerint, fructusque protulerit uberrimos (*a*). Prætereo ſuffocationes ab aëre effluviis *Mineralibus*, *Venenatis*, *Arſenicalibus* gravido, ut patet in Animalibus, quæ in famoſiſſimum *Regni Neapolitanis* antrum, GROTTO DEL CANE dictum, ducuntur; vel in illis qui in puteos diu clauſos ſubito dimittuntur, cet. Allata quippe exempla ſufficiant.

§. XXVI. Seminiis Communibus quoque annumerandum, *Functionum omnium ac ſingularum generale fundamentum, in motibus harmonicis poſitum.* Quamvis autem fundamentum, quo mirabilis hic conſenſus nititur, non adeo cognoſcamus, de ipſa tamen re dubitare non licet. Generalem quippe cernimus harmoniam ſyſtematum functionum inter ſe: *Syſtema Circulatorium* cum *Nerveo*, *Nerveum* cum *Motorio*, & vice verſa conſentiunt. Tribus gaudemus *Emunctoriis*, tribus *Coctricibus* ſubordinatis *Officinis*, *Primis viis* ſubordinatum eſt *Emunctorium Alvi*; *Secundis viis Syſtema Uropborum*; tertia coctio videtur fieri in ſingulis corporis partibus, huic correſpondet *Sanctorianum perſpirabile*, vel *Emunctorium* Cutis, nec non *Officina Mucipara*; quam mirus inter hæc *Emunctoria* conſenſus ſit, quotidiana obſervatione conſtat; Perſpiratione etenim ſuppreſſa, alvi vel urinæ excretio copioſior, & verſa vice; hanc harmoniam non neglexit *Medicorum Anteſignanus* HIPPOCRATES; dicit enim: *Cutis raritas Alvi denſitas* (*b*). Idem dictum velim de Functionibus *Naturalibus*, *Animalibus*, *Vitalibus*, & *Sexualibus*. Unum alter-

(*a*) Videantur *Hiſtorie en Gedenkſchriften der Maatſchappye tot redding der Drenkelingen*; Amſterd. 1768. en de volgende. (*b*) Epidemic. Lib. VI. Sect. III. N. 1. pag. 1174. Edit. Foëſii.

alterumve exemplum conſenſum hunc manifeſtiſſime docebit: dum *Vitulis*, *Ovibus*, *Porcis*, cet. diſciſſis Arteriis Carotidibus pleno rivo ſanguis effluit, circa mortem incipit ceſſare liquidi hujus vitalis fluxus, per intervalla tantum rediens, tunc validiſſime ſemper convelluntur Animalia donec moriantur; idem obſervarunt Practici, dum per Abortum vel poſt Partum patulis uteri vaſis, omni fere ſanguinis copia exeunte toties convelluntur mulieres; hoc ſuo jam tempore dum obſervaret *Medicinæ Parens* monuit: *ex copioſo ſanguinis fluxu convulſio contingens*, *malum denunciat* (*a*); nec non: *ex profuſa purgatione convulſio ſuccedens*, *malum* (*b*). Hac in Urbe novi Virum Reverendum, qui quoties terrore percutitur, per ſex vel & plures quandoque dies *Diarrhœam* patitur. Ex terrore ſudorem ſanguinis vidit Musitanus. Dum homo cogitur validum inſtituere motum muſcularem, cibi reſpondere debent cum qualitate, tum quantitate, uti & ſomnus, cet. hoc ſi obtinet homo ſanus eſt; ſi vero detraho de cibo eodem animali motu manente, brevi afficietur morbo & labori ſuccumbet.

§. XXVII. *Eſt & conſenſus quoque inter partes vivas qua mutuas ſibi ſuppetias ferunt*, *atque altera alteram in communes contractiones ciet*, *cum una modo laceſſitur: ut adeo pars ſingularis irritata*, *nonnunquam univerſum corpus exagitet* (*c*). Et ſane elegantiſſima hæc concinnitas, qua in unum conſentiunt omnia, ſe manifeſtat vel generaliter per totum corpus, vel ſpecialiter conſpiciendam ſe præbet in quibusdam partibus ſingularibus. Variæ obſervationes utramque Sympathiam probant. Nonne aquà frigidà corporis calenti parti adſperſà, contrahuntur omnia vaſa ſubcutanea? An non dum *Encephalon* vulneratum, inflammatum, ſuppuratum, aut alio quocumque modo læſum eſt, omnes fere corporis partes in conſenſum rapiuntur? Nonne tunc oriri videmus *Vomitus*, *Spasmos*, *Tremores*, *Paralyſes*, *Deliria*, *Letii Fæcuumque ſpontaneum exitum*, aliaque mala a Boerhaave enumerata (*d*)? Taceo *Vermes* in inteſtinis nidulantes, unde omnia commoven-

(*a*) Hippocrat. Aphor. 3. Sect. V. pag. 1252. Edit. Foeſii.
(*b*) Ibid. Aphor. 4. (*c*) Gaubius Inſtitut. Pathol. Medicin. §. 99.
(*d*) Aphorism. 267, & van Swieten Comment, Tom. I. pag. 432.

ventur ſyſtemata; acre quoque *Podagricum* non ut topicum tantum in pedis pollicem graſſatur, ſed in totum omnino hominem. Sexcenta alia addere poſſem, ſi opus foret, exempla, vel effecta *Opii* ſola commemoraſſe ſufficeret (*a*). Hæc nunc conſpiratio ſæpe obtinet inter diverſiſſimas omnino ejusdem corporis partes. *Diaphragmate* inflammato non tantum proximus *Ventriculus*, ſed etiam *Cerebrum* & *muſculi faciei* afficiuntur, docent *vomitus*, *delirium*, *riſus Sardonicus*; quam mirus eſt in morbis *Ventriculi* conſenſus partium! Vulnere ſiniſtræ capitis parti inflicto, unde *muſculus temporalis* pro parte erat diſſciſſus, oriebatur *Spasmus Cynicus*, *Triſmus*, *Tetanus* (*b*). Parvus globulus vitreus in *meatu auditorio* hærens, produxit *Hemicraniam*, *Stuporem* in brachio & femore ſiniſtris, *menſium ſuppreſſionem*, atque *Epilepſiam* (*c*). Ab odore alimentorum grato, pleno rivulo *Saliva* ex ore profilit. Ne longus ſim prætereo, mirabilem Sympathiam, *Uterum* inter & *Mammas*, inter *Genitalia* viri & totum ejus corpus pubertatis tempore, innumeraque alia (*d*).

§. XXVIII. Conſtat homo duplici principio, corpore organico mirabili prorſus artificio conſtructo, & *Ente* immateriali toto cœlo a priore diſcrepante; hæc MENS vel ANIMA ſalutatur. Bina hæc adeo arctiſſime ſunt unita, *ut nulla fere hominis particula indicari posſit, in qua non una & mentis & corporis aliquid, atque adeo utriusque mixtura animadvertatur* (*e*). Quam certa mentis eſt exiſtentia, tam incertus locus quem occupat; hunc DES CARTES in *Glandula Pineali*, WILLIS in *Corporibus Striatis*, alii in *Septo Lucido*, alii in *Corde*, *Cardia Ventriculi*, alii denique in toto quæſiverunt corpore; idem dicas de modo quo conjunctio fiat, circa quam varia Philoſophi propoſuerunt ſyſtemata, ſed infirmo fundamento nituntur, quæ ſi enumerare & refutare vellem, nimis a meo ſcopo aberrarem; ſufficit Medico cognoſcere, bina hæc quidem diverſiſſima entia a ſe invicem pati,

(*a*) EDINBURG. Phyſical. Eſſays Vol. II. pag. 297. & ſeq. item WHYTT *over de Zenuwe Ziektens*, door Bikker, Hoofdſt. I. N. 9. Bladz. 7.
(*b*) Eſſay on the vital motions of animals, edit. 2. §. VII. (*c*) HILDAN. centur. I. obſervat. 4. (*d*) Vid. WHYTT *over de Zenuwe Ziektens*, Hoofdſt. I. N. 11. Blad. 11. (*e*) GAUBII Sermo *de regimine mentis &c.*

pati, unumque in alterum agere. Qui hanc rem penitus pertractatam videre cupit adeat *Magni* Gaubii binos Academicos Sermones *de Regimine Mentis quod medicorum eſt.*

Commercium hoc innumeris probatur exemplis, pauca adducam. Si conſideramus animi Pathemata quot quæſo non excitant in toto corpore turbas! quotidie iſtud docent *Gaudium*, *Amor*, *Ira*, *Odium*, *Mœror*, *Metus*, *Terror*, *Deſiderium rei concupitæ longius protractum*, cet. Exemplum ſumamus ab Ira, *Furore* illo *brevi:* quam ingens miſeriarum numerus ex hac ſola, tanquam e pixide Pandoræ, in corpus effunditur! Animam turbat, totum quaſi hominem conquaſſat, inordinatam reddit circulationem, ſanguinem in minima propellit vaſcula, maxime capitis, quod inde turget, rubet; oculi ſcintillant, vindictam ſpirant, cet. hinc Febres ardentes, aliique morbi acutiſſimi, imo & ſæpiſſime ſubitanea mors ſubſequuntur. Contrarium fere efficit Moeror, quem pulchre Ovidius expreſſit canens:

*In vultu color eſt ſine ſanguine, lumina mœſtis*
*Stant immota genis, nihil eſt in imagine vivum.*

Aulicus v. c. dum in favore & gratia ſui Principis verſatur, lætiſſima fruitur ſanitate; quam primum vero ex hac excidit, totus languet, nec raro præmatura morte ad plures abit. De *Catalepſi* ab amore nata narrat Illuſt. Tulp (*a*). Ipſa recordatio toleratæ olim injuriæ, diu ſopitos tumultus renovare valet. Nec minores profecto exerit corpus in animam effectus; ſæpe enim leve vitium corporis totam mentem turbat; ſic obſervarunt fatuos a nativitate fere ſemper habere capitis vitiatam figuram. Uncia ſanguinis ſub olla cranii effuſi totam humanitatem delet. Levem etiam cerebri compreſſionem turbare poſſe ejus actionem, raro conſtitit exemplo: Mulieri dimidia cranii olla fuerat ablata, hanc circumferebat oſtiatim ſtipem quærens, nudam duram matrem, dum digiti apice leviter quis tangeret, valide exclamavit millenas ſe videre candelas (*b*). Sic cranium impreſſum circa *Suturam Lambdoideam*, puerum decem anno-

rum

(*a*) Obſerv. Med. Lib. I. Cap. XXII. (*b*) Hiſt. de l'*Acad. des Sciences*, 1700. pag. 57.

rum feliciſſimo ingenio præditum, omnino ſtupidum reddidit (*a*). Celebris eſt illa quam Rondelet retulit hiſtoria ſtudioſi *Monspelienſis*, qui ex vulnere capiti inflicto, ita rerum omnium oblitus eſt, ut inſtar infantum, prima pueris tradi ſolita elementa denuo diſcere neceſſe habuerit. Memoriæ magnis caloribus aëris perditæ exemplum in *Actis* lego *Pariſinis*, illud autem ſingulare erat, tempeſtatem per duos vel tres dies frigidiuſculam, perditam reddidiſſe, calore interim redeunte, eandem ſe manifeſtaſſe calamitatem (*b*). Quam ſtupendos *Muſicam* quandoque in C. H. videmus exerere effectus (*c*)! Quoties non videmus ſapientiſſimis viris mentem turbari, memoriam aboleri, dum *atra Bilis* gravat præcordia! dubitetne quis? Profero Acutiſſimum Pascal, qui ignis abyſſum ad latus ſuum ſemper præſentem putabat. Celeb. *Asſtronomum* C. Huigens, qui corpus e Butyro confectum credebat, tandemque miſerrime vitam, in puteum ſe ſe præcipitans, finivit. *Apocalypticis* ſuis lucubrationibus famoſiſſimum P. Jurieu, pluresque alios, de quibus legi meretur Eruditiſſimus Tyssot (*d*) Celeb. *Theologus* Morin adeo memoriam exercuerat, ut totam quantam amitteret, ita ut proprii ſui nominis fuerit oblitus. Non mirum igitur Practicos in illis etiam morbis ubi nihil in corpore mutatum invenitur, Ex. Gr. in Mania, ubi delirat homo ferociter & ſine febre, talia ab omni ævo dediſſe remedia, quæ incredibili vi fundendi & movendi omnia gaudebant, hac ſpe, ut, turbato corpore, deleatur illa impreſſio in ſenſorio communi latens, unde oriebatur hoc malum; docet inter alia *Submerſio Therapeutica*. Ne autem adverſarii dicant Medicos ſuſtinere Philoſophica arare vitula, ingenioſiſſimus quippe Des Cartes dixit: *Animum adeo a temperamento, & organorum corporis diſpoſitione pendere, ut ſi ratio aliqua poſſit inveniri, quæ homines ſapientiores & ingenioſiores reddat, quam hactenus fuerunt, credendum ſit illam in* Medicina *quæri debere* (*e*).

§. XXIX. Plura hujus generis addere poſſem Seminia, allata vero

(*a*) Hildan. *obſervat. Chirurg.* Cent. III. obſerv. 21. (*b*) Hiſt. de l'*Acad. des Sciences*, 1705. pag. 73. (*c*) Vid. Diſſert. inaug. Amici mei van Swieten, ſiſtens *Muſicæ in medicinam influxum atque utilitatem.* L. B. 1773. (*d*) *Raadgeeving voor de gezondheid der Geleerden.* (*e*) Diſſert. de *Methodo*, N. VI. pag. 38.

ro rem abſolviſſe confido; concludo itaque optimi *Magiſtri* verbis (*a*): *Naturam hominis ita comparatam, qui confert multiplicibus potentiarum, quibus per vitæ munia exponitur, viribus, is facile videt, non imparem modo eſſe quibusvis noxis repellendis, ſed pronam quoque in nonnullos ruere.* Perſæpe enim potentiæ nocentes adeo feroces ſunt, ut nonniſi *Seminio Naturali Communi* opus habeant ut morbum ſiſtant; patuit hoc in caſibus, de *Veneno Viperæ Caudiſonæ*, de *Opio*, cet. (§. XXII.) enumeratis; idem docent mechanicæ poteſtates, ut Ignis pluraque alia. Inquiramus jam in

## SEMINIA NATURALIA PROPRIA.

§. XXX. Vix aut ne vix quidem Syſtematici hæc quoque recenſuerunt. Quemadmodum ſculptores ut perfectam ideam præberent pulchræ fœminæ, fortisque ac bene conformati viri, ſumpſerunt ſibi pro forma, cum VENEREM, tum HERCULEM, ſic & Medici ſibi finxerunt hominem perfecte ſanum, in quo nullum omnino, imo, ne minimum quidem vitium reperiretur, quod perturbaret ſanitatem perfectiſſimam. Hæc perfecta ſanitas revera & actu non ſubſiſtit, quia quodlibet individuum ex naturæ inſtituto privam ſibi habet ſanitatem. Uti enim duæ non dantur facies hominum inter ſe omnino ſimiles, ſic nec duo homines qui perfecte quoad omnia interna conveniunt; hoc aſſertum ut olim confirmaret exemplo *Divus* ALBINUS, dicebat ſe os *Metacarpi* quod ſimplex eſt, nunquam perfecte ſibi ſimile in duobus inveniſſe cadaveribus (*b*).

Alia nunc eſt ſanitas pueri, alia adulti, ſenis alia, & ſic porro; hæ nunc ſanitates, quatenus ad morbos diſponunt, dicuntur *Illuſt.* GAUBIO, SEMINIA NATURALIA PROPRIA, per quæ intelligit: *Privum illud, quod quisque ſanus ſibi ex naturæ inſtituto habet, quo fit, ut magis quam alii, ad aliquos morbos proclivis ſit, horum idcirco occaſionibus minus reſiſtere queat* (*c*). In hisce prædiſpoſitionibus enumerandis, pri-

(*a*) GAUBII *inſtitut. Pathol. Medicin.* §. 610. (*b*) Vid. hic diſſert. inaug. Affinis mei dilectiſſ. J. C. INSFELDT, de Luſibus naturæ L. B. 1772.
(*c*) GAUBIUS l. c. §. 611.

primum dabimus locum ÆTATI, cujus rationem ſatis habere non poſſunt Medici.

§. XXXI. Tenellus infans, dummodo in dias luminis auras prodeat, naturæ filius, magna calamitatum ſerie undiquaque circumcinctus eſt, manetque per totum vitæ ſtadium, ac minimo eventu totius non raro immutatur, non penes ipſum eſt omnes avertere caſus, contentus iis acquieſcat neceſſum eſt. Licet enim omne morborum genus longo agmine hominem circumſiliat, conſtans obſervatio docuit, morbos cuilibet ætati eſſe familiares ab infantia ad ſenium usque, qui ex ipſa conſtitutione corporis, cuilibet ætati propria, ſponte profluunt.

*a*. Qui jam conſiderat conſtitutionem, qua homuncio peractis novem menſibus, non ſine doloribus maternis, fructus inſtar ſtilo ſuo avulſi in lucem editur, non poterit ſatis ſummam Artificis ſapientiam laudare; fœtus etenim hic ex guttula libidinoſa in actu Venereo Utero materno inducta, munere ſummi CREATORIS in tantam molem jam excrevit, imo ſic fabrefactus eſt, ut adhuc in majorem molem excrescere poſſit, uti conſtans ex ſolidis tenerrimis, flaccidis, mucoſis, facile extenſilibus, & ex fluidis, quoad quantitatem, ſolida immenſe ſuperantibus. Hæc autem conſtitutio, exponit corpusculum variis nocivis potentiis; conſideremus tantum morbos organicos qui ex imperitia obſtetricum oriuntur; claudicationes a fortiter ruditerque tractis pedibus, coſtarum diſtorſiones, cet. nonne igitur dicere liceret: *forſan feliciores fore mulieres, ſi omnino obſtetrices nullæ eſſent?*

*b*. Tot porro ſunt tantæque quæ liberato e carcere ſuo fœtui mutationes contingunt, & illæ quidem tam ſubito invicem concatenantur, ut merito miraculum quaſi proclament omnes, qui vitæ humanæ veram œconomiam noverunt, ex millenis vix unum per horam reſiduum vivere poſſe. Dum enim antea Utero contentus mediis hærebat in aquis, jam Reipublicæ humanæ civis factus, nudo, frigido, puroque aëri exponitur; dum *Pulmo* in Utero non egit, pars quippe ſanguinis tantum transmiſſa fuit per *Pulmones*, reliquus vero ſanguis per *canalem arterioſum* & *foramen ovale*, nunc omnis fertur

per *Pulmones*; dum fœtus in Utero hærentis vaſa aërifera muco impleta erant, nunc jam aëre expanſa, parciorem debent fundere mucum; hic ſi copioſior affluat & vaſa aërifera oppleat, oriuntur *Aſthmata*, *Tuſſes* ſubinde *convulſivæ*, *Pectoris oppletiones*, aliaque mala.

*c.* Alius fons eſt ſumma laxitas, quæ conſiſtit in ea adunatione elementorum fibram minimam conſtituentium, & vi cohæſionis tam parva, ut non poſſit ſuſtinere cauſſas vitæ & ſanitatis absque majori quam oportet elongatione vel ruptura; quo enim origini homo propior eo habet fibras ex elementis minus cohærentibus conflatas, membranas minus denſas, vaſcula omnia minus cohærentia, & quaſi diffluentia; ob hanc Prædiſpoſitionem vix ullis morbis vexatur magis ætas prima quam *Tumoribus*, ut jam dudum notarunt Hippocrates, Celsus, aliique; pertinent huc etiam *Herniæ* præcipue *Umbilicales*; *Luxationes*, imprimis ab Hippocrate & Celso annotata *Vertebrarum colli Luxatio*, *Epiphyſium* ſeceſſus, *Rachitis*, cet. Præbet & totius corporis teneritudo Seminium *Aneurismatibus Cardiacis*; obſervata circa Aneurismata, in fœtuum una alterave cordis auricula, haud raro obvia, hoc ſatis evincunt (*a*).

*d.* Accedit inſuper vaſorum major numerus, quo adorandus & ſapiens naturæ Auctor proſpexit, ut debita inde exſurgeret flexilitas, quam ſemper majorem obſervamus, quo ex pluribus & minoribus vaſculis pars aliqua conflata eſt; nullo nunc tempore magis hæc requirebatur quam illo quo infans incrementum ſuum capere debebat, quod fieri non poſſet ſi vaſa minima eſſent concreta. Videantur hic quæ dicta ſunt (§. XXIII.).

*e.* Sequitur in hac ætate adeo, leviſſima nata occaſione, tragediam ludens *Irritabilitas*, ſeu nimia ſenſilitas, uberrimum fontem, ſpasmis, motibus convulſivis &c. præbens, docent *Acidum* primarum viarum, *Vermes* in inteſtinis nidulantes, eruptio *Dentium*, & ſimilia.

*f.* Copiæ tenuiorum humorum hic quoque locum concedendum cenſeo, ſic ut fluida prævaleant ſolidis; omnes enim in prima ætate tur-

(*a*) Vid. Diſſert. inaugur. Amici mei Verbrugge *de Aneurismate Aortæ* &c. cum fig. L. B. 1773. pag. 9.

turgiduli ſunt, hinc tam faciles & miræ humorum mutationes (§. XXII.) qui adeo frequenter per cutim exeunt; docent *Achores*, *Herpetes*, *Excoriationes* poſt *Aures*, ſub *Axillis* & quæ plura.

*g.* Nec mihi licet ſicco pertranſire pede *Lac nutricum*, (quod bonum, alimentorum tenello corpori omnium eſt aptiſſimum) quatenus ingeſtorum vim inducit; docent hoc effectus *Purgantium* nutricibus exhibitorum. Infans temulentæ nutricis ubera ducens, convulſivis motibus abnorminibus afficiebatur. Practici hæc contemplati, nutrici exhibent *Corticem Peruvianum*, ut a *febre intermittente* liberetur infans.

§. XXXII. Corpore pedentim increſcente ad pubertatem disponitur uterque ſexus; homo ſcilicet annum circiter vigeſimum quintum attingens dici plerumque ſolet vir ſive adultus, tuncque ad incrementi apicem generaliter pervenit; ſed quot nocivæ potentiæ hic iterum non occurrunt? Ulteriori incremento incipit reſiſtere corpus, nec vaſa patiuntur ſe tam facile extendi, naſcitur æquilibrium inter vaſorum reſiſtentiam & fluidorum impetum, pergunt interea viſcera *Chylificationi* & *Sanguificationi* deſtinata novos quotidie generare humores, quum vero non amplius corpus increſcere poſſit, major quam requiritur ſanguinis generabitur quatitas, unde Plethora, & nimiæ repletiones; ſic vaſa ultra quam par eſt diſtenta, facile rumpuntur; hinc *Narium hæmorrhagiæ*, *ſputa vomitusque ſanguinis*.

§. XXXIII. Porro, in homine adulto, actio vaſorum magna in fluida, hinc denſus & compactus ſanguis, unde frequentes acuti inflammatorii morbi, docent *Phrenitides*, *Anginæ*, *Pleuritides*, cet.

§. XXXIV. Summo jure infantum morbis oppoſiti dicuntur illi *Senum*, in his enim minora obrigeſcunt vaſa; ſanguis ex corde continuo pulſus, diſtendit vaſa majora, unde minora, majora hæc componentia & per horum parietes decurrentia comprimuntur; (§. XXIII.) quo fit ut ſuis liquidis orbentur; ſed hoc unicum non eſt, ea enim noſtrorum ſolidorum lex eſt, ut quam primum ſibi contigua ſunt facta ilico concreſcant; tandemque naſcitur illud rigidum in fibris & vaſis

ut

ut minus cedant liquidis impulſis, hinc ſenſim contrahuntur omnia, totum corpus exareſcit & exſuccum fit, omnis pinguedo conſumitur, unde in ſenum manibus nudas quaſi tendinum chordas videmus, proceritas corporis perit, deinde in ſummo ſenio adeo rigeſcunt omnia, ut membranæ in cartilagines, hæ in durum & inflexile os, quod & in muſculorum tendinibus & ligamentis obtinet, mutentur; ſic obſervarunt PALFIN, MORGAGNI, BONET multique alii Anatomici, in ſenum Cadaveribus, *Arterias Bronchiales*, *Aortam*, *Arteriam Pulmonalem*, oſſeas factas, imo *ſinus venoſos duræ Matris* oſſeſciſſe omnino, & raro exemplo invenerunt in *Auriculis cordis*, & in *Corde* ipſo oſſificationes (*a*).

Ex hac rigiditate vaſa non patiuntur ſe dilatari, vel ſaltem non ſatis, tunc Cordis vires non valent expellere ſanguinem in ſuis contentum cavis, tunc Cor, mirabili quaſi tenesmo irritatum, pluribus ictibus facere conatur, quod una contractione non potuit; hinc palpitationes cordis, & interruptus pulſus toties in ſummo ſenio obſervati.

Dein omnia quæ a ſubtiliſſimis humoribus, per vaſa minima motis pendent, ſenſim abolentur, hinc omnes cerebri & nervorum functiones debilitantur, humores in frigidam & pituitoſam indolem degenerant, per ſola vaſa majora humorum tantum circulatio fit, tandemque inevitabili neceſſitate MORS fatum illud ſenile, agmen innumerabilium malorum claudit. Recte itaque GALENUS (*b*) *quia naturæ* (inquit) *progreſſum*, *qui ad ſiccitatem eſt*, *effugere non licet*, *ideo ſeneſcimus & corrumpimur.* Eleganter POËTA (*c*)

*Stat ſua cuique dies*, *ſtat adulti terminus ævi*,
*Et ruit in cinerem*, *quod fuit ante cinis.*
*Lege ſub hac dubium vitæ mundique theatrum*
*Scandimus infantes deſerimusque ſenes.*
*Ulterius nihil eſt: huc ſerius ocius omnes*
*Tendimus; hoc properant Crœſus & Irus iter.*

*Ulte-*

(*a*) Hiſt. de l'*Acad. des Sciences*, 1726. pag. 24. & 1768. pag. 51.

(*b*) *De Sanitate tuenda* Lib. VI. cap. 3.

(*c*) Illuſt. A. VAN ROYEN Promotoris ad rogum usque colendi Elegia *de corporis animique moderamine* pag. 4.

*Ulterius licet ipſe ſacras Podalirius herbas*
*Miſceat, aut vana ventitet arte magus,*
*Quidquid agyrta levis magno promittat hiatu,*
*Nil, quo mortales progrediantur, habent.*

§. XXXV. Procreatione genus humanum ſervatur, quod cæterum unius ætatis foret. Solus ex ſe non procreat, opus eſt ambobus, ideoque in Sexus diſtinctum eſt genus humanum. Mas ergo requiritur & Fœmina qui procreent aut Marem aut Fœminam. Licet functione hac generatrice vita ac ſanitas carere poſſit, aut ea nondum perfecta, vel quocumque modo extincta, reliqua œconomia in ſtatu integro poſſit conſiſtere, ut infantia & ſenium docent, illa tamen claſſis functionum præcipue viget, quando corpus ad incrementi ſui apicem pervenit (§. XXXII.).

Maturitatis hoc tempore in utroque Sexu *Igniculi Venerei* in actum deducuntur, quibus Sexus alter alterum appetit, & proſequitur, nec contentus donec corpore animoque junctis ſuo potiantur voto, tertiumque cudant. Pulcre APOLLO *Leidenſis* (*a*):

*Vita per humanos artus diffuſa, petuleos*
*Neſcio quos motus poſt tria luſtra ciet.*
*Imberbis juvenis vix in lanugine barbam*
*Sentit, & in rauco gutture ſigna viri*
*Sanguine quin calido ſtimuliſque agitatus iniquis*
*Lenta voluptati frena relaxet amor.*

Corpus autem fœmininum longe aliter fabrefactum eſt quam virile, *quin imo totus Sceletus infirmior fere eſt, & neſcio quid fœminini habet, difficilis ad explicandum* (*b*). Quum viris a SUMMO NUMINE hæc impoſita lex fuerit, *ut in ſudore vultus panem lucrentur ſuum* (*c*); major in his requirebatur fibrarum rigiditas; hæc etenim (in genere loquor) conſtanti obſervatione in viris præ mulieribus reperitur, ſanguinem magis denſum habent, & inflammatoria diatheſi majo-

(*a*) Carmine Elegiaco *de morbis ætatum* pag. 15. (*b*) B. S. ALBINUS *de oſſibus* §. 338. (*c*) GENESEOS Cap. III. Commat. 19.

majori præditum quam fœminæ, unde præ illis magis inflammatoriis obnoxii ſunt morbis; documento ſint *Phrenitides*, *Gaſtritides*, *Hepatitides*, *Peripneumoniæ* &c.

§. XXXVI. Præterea pubertatis tempore in maſculis ſecernitur humor ſingulariſſimus, cui Seminis nomen dederunt, cujusque ſecretioni vaſa nondum ſunt aſſueta. Porro *Igniculi* in genitale membrum agunt; ſi igitur ad naturæ legem veneris uſus obtinet, corpori prodeſt, ſin minus, ſi excedat, corpus exhaurit; dixit Celsus *concubitus rarus corpus excitat*, *frequens ſolvit*; imo exempla licet rariora teſtantur nimiam nocuiſſe abſtinentiam.

Fabrica dein Naturalium ipſa, in viris Seminium eſt variis morbis, quorum enumeratio hic ſupervacanea foret, quum Practici & Chirurgi de his fuſe admodum egerint. Prætereo idcirco quoque naturalem ad Hernias *Inguinales* & *Scrotales* in viris prædispoſitionem, cet. Potius diutius parum Seminiis morborum muliebrium inhærebo, quia horum tanto major numerus, quo plura *ſexui amabiliori* munia incumbunt; hanc quidem veritatem ſuo jam tempore cognitam habuit atque perſpectam Democritus, *Uterum*, in litteris ad Hippocratem datis, *Sexcentarum ærumnarum in muliere auctorem appellans* (*a*).

§. XXXVII. *Seminia* morborum in fœminis, vel reduci poterunt ad ipſam earum naturæ indolem, qua generaliter a viris diſcrepant, vel ad certam ætatem aut varium vitæ ſtadium; hæc vocabo *Particularia*, illa vero *Univerſalia Seminia*. Univerſalium ſequentia præcipua ſunt.

*a*. Totius corporis foeminini compages minus firma, laxior & debilior quam in viris, indeque pendens illarum Temperamentum Phlegmaticum, vel ad ſummum, paucis robuſtioribus viraginibusque exceptis, Sanguineum (*b*); inde cæteris paribus magis proclives ſunt ad ſin-

(*a*) Democritus Hippocrati, de natura humana; Hippocr. Foëſii Sect. VIII. pag. 1289. (*b*) Optime ſic explicatur illud, quod jam ſuo tempore Plinius notavit, corpora fœmina minorem terræ quantitatem relinquere ſi cremantur quam virilia, hæc vero principio inflammabili ſuperari ab illis, ita ut, quinque corporibus virilibus rogo impoſitis, unum adjicerent fœmininum, qui citius flammam caperent.

ſingulos morbos qui ex pitiutæ, lymphæ, aut ſeri vel & ſanguinis abundantia colluvieve oriuntur, V. Gr. Leucophlegmaticos, Chloroticos, obſtructiones viſcidas, cet.

*b.* Major ſenſilitas Principii vitalis, & teneritudo ſyſtematis nervoſi, unde fieri videtur, ut corporis animique commotionibus, ſpasmis, convulſionibus indeque oriundis malis ſint magis obnoxiæ, Ex. C. Paſſioni Hyſtericæ.

*c.* Accedit inſuper huc usque a priori incognitus mirabilis ille conſenſus, quem in variis vitæ ſtadiis eorumque muniis, cum vicinis non tantum, ſed & cum remotioribus partibus alit uterus, quique illum morborum fontem uberrimum primario vocari facit. Hæc prædiſpoſitio in fœminis valde frequens, atque ita celebris, ut nec de illa taceant ii, qui aliarum partium ſympathiæ ne verbo quidem meminerunt. Hanc explicare conatur præclarus quidam Auctor (*a*). *Refluens* inquit *ſanguis ab Utero & premens Septum transverſum, retracto utero præfocationem: in Caput irruens Inſaniam, Epileſias, Catochos, Apoplexias: occupans Thoracem tuſſiculares affectiones, & tremores Cordis, nonnunquam Syncopes: in Nervos denique facit ſtuporem, immobilitatem, & reſolutionem.*

Ne longus ſim prætereo naturalem in fœminis diſpoſitionem ad ad Hernias Crurales, Umbilicales, cet. Particularium feminiorum enumerationi jam me accingens.

§. XXXVIII. Non ſufficiebat fœminæ tales habere partes, in quibus poſſet concipere, conceptum ſervare, nutrire, maturum dein emittere; verum totum jam corpus ad hoc munus a juventute quaſi debebat præparari. Sic ante conceptionem menſtrua fluere debebant, poſt geſtationem vero talis interna requirebatur fabrica, ut lac ad ubera flueret, ſicque pro ſe atque pro infante commedere poſſet. Morborum Virginum Seminia hæc præcipua habentur.

*a.* Pubertatis tempore tempore ſanguis menſtruus fluere incipit, qui ni debito atque a naturæ lege determinato motu evacuetur, innumeris malis anſam dat. De morbis autem qui ex hoc forte promanant fuſe admodum egerunt Practici.

*b.* Hoc

(*a*) Nucleus Hippocratis Aphorism. Cent. III. Aphor. 44.

*b.* Hoc quoque vitæ ſtadio major ſenſilitas, & irritabilitas datur, tam ratione partium contractilium, quam reſpectu ſyſtematis nervoſi, cum accedente inſigni animi agilitate & mobilitate, quæ illas reddunt frequentibus ſpasmodicis contractionibus, convulſionibus; reliquisque nervorum & principii vitalis morbis obnoxias. Sic virginem novi, quæ levi occaſione a re horrenda viſa, vel dum irraſcitur, Clavo Hyſterico, Colica Hyſterica, imo & Epileptico quaſi inſultu afficitur.

*c.* Igniculi venerei, in hoc vitæ fœmininæ curriculo primos principesque effectus ſuos exerunt, qui quum juſtos intra limites continentur, admiranda efficacia naturam earum mutant, fœcunditati adaptant, & ad licitam impellunt voluptatem; aliquando vero tam abnormes fiunt, ut, animi corruptionem, imo ſæpe corporis obſcenos morbos, excitare videantur.

§. XXXIX. Fœminæ ſtrictiori ſenſu Mulieres appellantur, quatenus hæ virorum commercio indulgent, & utero concipiunt; cum autem rara ſatis & pauca ſint mala, quæ ex primo coitu & orgasmo venereo nonnullis conjugibus eveniunt, eorum Seminiis non inhærebo.

§. XL. A coitu vir liber manet, mutatur vero fœmina, & ſi utero concepit Gravida dicitur.

*a.* Huc referri meretur irritabilitas totius corporis, quæ obtinet durante toto geſtationis tempore, & gravidas longe magis obnoxias reddit ad partium mobilium & ſentientium commotiones inordinatas ſubeundas quam alias.

*b.* Mirabilis quoque in iis datur diſpoſitio mentis ad animi affectus validiores, qui haud raro inſoliti & enormes dum ſunt, in abſurda & ridicula abeunt Phantasmata, non omni ſemper periculo vacua, tum in ipſis gravidis, tum in fœtibus; judicium meum ſuſpendens circa illos, qui organica inde vitia, nævos maternos, imo membrorum mutilationes oriri poſſe contendunt.

*c.* A ſcopo meo alienum eſſe non cenſeo, partium in abdomine ſitum huc quoque referre, & cum utero conſpirationem, qui multis malis anſam præbet, dum uterus gravidus increſcens, e pelvi ad-

ſcen-

ſcendens, arctatione cavi Abdominis, & compreſſione mechanica omnium viſcerum, qui in eo continentur, ut & vicinarum partium, ſpeciatim *Hepatis*, *Ventriculi*, *Inteſtinorum*, *Renum*, *Ureterum*, *Aortæ*, *Venæ Cavæ*, *Arteriarum & Venarum Iliacarum*, *Nervorum ex medulla ſpinali prodeuntium inferiorum*, nec non pectoris coarctatione, ſimilibusque effectis, in œconomia ingentes ſæpe producit turbas; ut Tenſiones, Spasmos, Dolores, Varices, aliaque mala, pro diverſa partium compreſſarum actione, variis nominibus inſignienda. Compreſſio autem hæc mechanica præprimis *Veſicæ Urinariæ* tam ſæpe inimica eſt, ut ex Iſchyria majori minorive inde nata, multæ noſtratium, quam certiſſimum ſibi conceptionis forment ſignum (*a*).

*d.* Centri porro gravitatis mutatio in gravidis ſibi locum inter Seminia poſcit; hæc etenim facit ut facile vacillent, labantur, ideoque in contuſiones, luxationes, fracturas, abortum & inde ſequentia mala, ob geſtationem curatu difficiliora, ſint procliviores.

*e.* Dein *Legitimum fœtus cum materno utero per Placentam commercium, ut quo ſublato, natura plerumque ocius ſerius ſarcinam ad frugem haud perventuram elidit* (*b*).

§. XLI. Per novem continuo menſes creſcens fœtus, jam ſatis hoc tempore matureſcit, ut partu ejici poſſit, ſicque a matre ſeparari. Conditiones autem Parturientibus propriæ, tot ſunt Seminia.

*a.* Præter multa in aliis ſtadiis memorata, hic denuo tragediam ludit, magna partium irritabilitas & nervorum ſenſilitas, qua ſit, ut levi nata occaſione in ſpasmos, cet. ruant; unde ſæpe Lochiorum fluxus ſupprimitur aliæque ortum ducunt turbæ.

*b.* Uteri conſenſus cum aliis partibus imo cum toto corpore mirabilis (XXXVII. c.)

*c.* Uteri cum aliis partibus cohæſio nexusque haud inſuperabilis, unde ejus ſæpe in Partu *deſcenſus*, *prolapſus*, *volvulus*, *inverſio*, cet.

§. XLII. Excuſſo fœtu fœmina dicitur Puerpera. Prædiſpoſitiones in hoc ſtatu facile intelligentur ex (XLI.). Iis accedit,

*a.* Quod

(*a*) Super hac re conſuli meretur amicus meus J. H. Blumenthal, in nitidiſſima, quam conſcripſit inaugurali Diſſertatione *de Iſchyria Hyſtero Cyſtica.* L. B. 1773.
(*b*) Eximius Gaubius Inſt. Path. med. §. 830.

*a*. Quod graviditatis tempore, uteri vaſa continuo augeantur, hinc admodum ampla ſunt, dum partus inſtat, adeoque dum placenta ſeparatur ab utero, patula vaſorum orificia liberrime effundere ſanguinem poterunt, quem LOCHIA Græci, & UTERI PURGAMENTA appellant Latini (*a*). Sed vel nimia quantitate fluunt, vel ſupprimuntur, unde futurorum morborum fertiles fontes evadunt.

*b*. Porro conſideranda maxima mutatio, quæ poſt partum abſolutum, viſceribus Abdominalibus & Pectoralibus contingit, hæc enim ad multos morbos prædiſponere poteſt.

§. XLIII. Fœtus primam adſpiciens lucem nutriri debet; mira hic Providentia OMNIUM BONORUM OCEANUS proſpexit. Hoc etenim tempore Lac, nutrimentum illud, quo tenello corpore nullum aptius, in mammis ſecernitur.

*a*. Hæc ipſa primum ſecretio, LACTANTES prædisponere poteſt ad varios morbos ſi excedat aut impediatur, indeque aliove modo naſcantur errores lactis, ſeu depoſitiones ad varia loca, lactantibus nonnunquam æque ac puerperis variorum magnorum morborum fontes evadentes; has Metaſtaſes hodie tantopere concelebrant Gallorum Medici; dicuntur iis *Depots Laiteux*.

*b*. Dein Lactis craſis facile mutabilis, unde levi negotio pravas qualitates inducit (§. XXII.).

*c*. Porro ſenſilitas ſyſtematis nervoſi & mobilitas principii vitalis hoc tempore valde frequens.

*d*. Denique Mammarum conſenſus & ſympathia cum aliis corporis partibus, & præprimis cum oculis. Novit Celeb. GAUBIUS Matronam, quæ toto illo quo lactabat tempore, Talpa cœcior erat.

§. XLIV. Poſt annum circiter quadrageſimum quintum menſes deficere incipiunt, ineptaque redditur fœmina ad opus generationis, tuncque EFFOETA vel & VETULA vocatur. Præcipue hic in cenſum veniunt mutationes, ex conſtituta, a ſummo Numine lege, in Pelvi & uteri

(*a*) Confer. ſummi B. S. ALBINI Tab. uter. Mulier. Gravid. VII. f. g., ibid. c. cum Annot. Acad. Lib. I. Cap. X. & Celeb. NOORTWYK Uteri human. Gravid. anat. pag. 10. & 11. & Illuſt. VAN SWIETEN Comment. Tom. IV. pag. 489.

uteri ſubſtantia factæ, quæ ſolitam impedint atque intercipiunt evacuationem, cui iſtæ partes aſſuetæ ſunt a juventute, perdurantibus interim naturæ conaminibus, quas adhuc conſueto more actiones corporis inducunt, quæque naturæ molimina aliquando annis 60 imo & 70 denuo menſes ſiſtunt. Reliqua vero Seminia in hac ætate petenda ex (§. XXIII. & XXXIV.).

§. XLV. Dicta conſideranti (§.XXXV. ad XLV), mirum nequaquam videri poterit, Cl. monuiſſe Gaubium in formulis præſcribendis, ſexum differentiam facere; *Fœminarum plerumque* inquit *tenerior quam virorum conſtitutio, reſtrictiorem doſin poſtulat. Quin viribus etiam accommodatam quantitatem reſpuunnt nonnunquam delicatulæ. His igitur, quousque fieri poteſt, vel deminutione, vel partitione majoris in plures minores, ſubveniendum* (*a*).

§. XLVI. Temperamenta nunc quatenus ad morbos disponunt contemplemur.

A priſcis jam temporibus, quibus medicina tanquam ſcientia exculta fuit, differentiam ſanitatum invenerunt medici, quam nec annis, nec ſexui adſcribere poterant, ſed quæ talem innuebat diſpoſitionem, qua Fœmina differebat a Faemina, Vir a Viro, Puer a Puero, Senex a Sene, cet. Temperamentum hanc dixerunt. Ab omni autem ævo in eo deſudarunt Æſculapii filii, ut ex genuinis principiis explicarent Temperamentorum diverſitates, ſed ſæpius infauſto cum ſucceſſu; docent maxime diverſæ variorum opiniones; ſic Schola Galenica nititur opinione de quatuor elementis cardinalibus, quæ vocarunt *Calidum*, *Frigidum*, *Siccum* & *Humidum*; cum autem cerneret qualitates has raro ſimplices, verum conjunctim occurrere, ſtatuit Temperamenta duplicis generis, *Pura* Viz. & *Mixta*, poſteriora erant: *Calidum & Siccum*, *vel Calidum & Humidum*, *Frigidum & Siccum*, *vel Frigidum & Humidum* (*b*). Cum his dein conjunxerunt quaternionem humorum quos veteres in C. H. ſtatuebant dari, *Sanguinem* nempe,

(*a*) De Methodo concinnandi formulas medicamentorum, Edit. ultima pag. 21. §.
(*b*) Vid. Galenus in libris de Temperamentis.

pe, *Pituitam*, *Bilem flavam* & denique *Bilem atram*. *Medicorum* audiamus *Anteſignanum* HIPPOCRATEM (*a*). *Hominis autem corpus*, inquit, *in ſe Sanguinem & Pituitam, & Bilem duplicem, flavam nempe & nigram continet, ex quibus corporis ipſius natura conſtat: & per hæc dolet & ſanum eſt. Sanum quidem vel maxime, cum hæc moderatam inter ſe, tum facultate, tum copia, temperationem habuerint, idque præſertim, ſi permixta fuerint; dolet autem ubi quicquam vel minus, vel copioſius fuerit, aut in corpore ſeparatum, nec reliquis omnibus contemperatum.* Temperamentum autem perfectiſſimum vix inveniri, ipſe faſſus eſt GALENUS (*b*). Dixerunt porro veteres, varium naſci Temperamentum, ſi aliquis illorum humorum prædominaretur præ reliquis, *a Sanguine Sanguineum*, *a Pituita ſeu Phlegmate Phlegmaticum*, *a Bile flava Cholericum*, *ab atra* vero *Melancholicum*. Primum horum comparabant cum *humido & calido*, alterum cum *humido & frigido*, tertium cum *calido & ſicco*, cum *frigido & ſicco* ultimum. Licet hæc de quaternione humorum doctrina hodie floccipendatur, depuratiorem tamen, cum memorato veterum ſyſtemate, hodiernam doctrinam, accommodavit DIVUS BOERHAAVE (*c*). Alii rurſus a ſiderum influxu omnem deſumpſerunt differentiam, atque a *Sole* ſanguineum, a *Luna* Phlegmaticum, a *Marte* Cholericum, a *Saturno* Melancholicum, ortum ducere exiſtimabant Temperamentum. Temperamenta autem iſta tantum adjudicavere ſanis, nunquam ægris; ſunt enim totidem ſanitates hominum revera exiſtentium, ſed quæ aliquid peculiare ſibi habent, quo inter ſe differunt, quod & externe ſe monſtrat colore, non quidem tegumentorum, ſed pilorum & oculorum, imo & totius corporis habitu (*d*); non etenim ſolum in fluidis, verum & in ſolidis & præcipue in vitali principio temperaturæ diverſitates quærendas puto; recte enim Celeb. GAUBIUS, *Temperamentum* (ait) *ponit ſingularem C. H. ſani in ſolidis ſuccisque ſuis Diatheſin ac proportionem, virumque motricium gradum, unde ſingularis profluit functionum tenor, qui dum ſanitatis modum non excedit in diverſimode temperatis longe tamen diverſus eſt* (*e*). Patet ſic Temperamentorum diverſitates in omnia ſe extendere ſyſtemata, imo in ipſam mentem, ut quotidiana

(*a*) Libro de natura hominis pag. 225. Edit. Foëſii. (*b*) De Sanitate tuenda Lib. I. cap. V. (*c*) Inſtit. Medic. §. 890—896. (*d*) BOERHAAVE l. c. (*e*) Inſtit. Pathol. §. 615.

diana fere teſtatur obſervatio. Neque ex una ſingulari conditione cujuſcumque Temperamenti peti poteſt fundamentum, ſed procedendum, ac ſi differentiam facierum humanarum vellemus indagare, non in peculiari quadam parte hanc quærimus, ſed in omnibus partibus ſimul ſumptis, ſic & totus homo conſiderandus cum mente tum corpore, non autem ſolida vel fluida ſola, ſed & Vitale Principium (XXV.), quum hoc abſente omnia inertia ſint. His præmiſſis diverſas has ſanitates conſideremus, quatenus morbum naſcentem in ſe habent.

In Sanguineo adſunt Pili rariores, flavo-albi, fuſci; caro mollis copioſa; viget vis vitalis; naturalis calor major; humorum & ſolidorum habitudo ad motum & fluorem ab omni parte aptior; circulatio bona; pulſus plenus, incitatus; reſpiratio bona; ſecretiones & excretiones copioſæ ſatis, & magnum vigorem conciliantes actionibus, quæ inde pendent; digeſtio, concoctio optime peraguntur; habitus corporis optime ſe habet; ſolidorum toroſitas ſanguinea, venæ amplæ, cæruleæ, ſanguine diſtentæ, fluidorum rubedo; delicati ideo habentur, qui hoc Temperamento gaudent, bene appetunt, avide ſuos ingerunt cibos, riteque eorum reliquias deponunt; porro ſunt agiles in motu muſculorum, prompti ad exercitia, licet non valde conſtantes, &c.

Phlegmaticorum pili albi, tenues, tarde creſcentes; corpus albidum, tumidum, molle; venæ anguſtæ, latentes; Circuitus languet; pulſus arteriarum exilis, lentus, mollis; reſpiratio ſatis lenta, niſi excitetur; Virtutis Vitalis torpor adeſt; ſecretiones, & excretiones lentiores, minus copioſæ; caloris vitalis locum occupat frigus & inertia; fluida alias tenuia, alias mucoſa, lenta, ſpiſſa; actiones inde omnes naturales torpent; ſenſus externi & interni inertiores & ſtupidi ſunt, mentis agitationes quatenus a corpore reguntur languentes &c.

Cholerici gaudent pilis copioſis, nigris, criſpis; duritie, macilentia, gracilitate carnis; colore fuſco, venis magnis; vim vitalem irritabilem valde habent; calor major quam in Sanguineo; pulſus ſæpe durus, plenus, magnus; reſpiratio fortis, &c.

In Melancholico denique habentur, glabrities; pili nigerrimi; macilentia ingens; ſiccitas magna; color ubique maxime niger, qui in

E tali

tali natione cernitur, quare vis vitæ ſatis robuſta junctam habet ſolidorum ſiccitatem, & fluidorum ſpiſſitudinem quaſi terreſtrem; hinc cordis & arteriarum vires robuſtæ, conſtantes ſed lentæ; hinc pulſus robuſtus, magnus, plenus, & tardus; reſpiratio lenta, gravis; calor minor; ſecretiones & excretiones tardæ, lentæ; ineſt tamen omnibus major conſtantia, ut ſuum tenorem eundem conſervent, nec levi de cauſſa a propoſito deflecti ſe patiantur &c. Quid de actionibus ſexualibus ſtatuendum ſit facile patet, ſi conſideremus eas omnino ab enarratis in ſingulo Temperamento eſſe derivandas. Suſciperem quoque Soli mutuare lucem, ſi cuilibet Temperamento propriam mentis capacitatem exponerem, cum hæc elegantiſſime alibi expoſita invenire B. L. poterit (*a*).

His ita perſpectis nullum latet qui vel medicinam a limime ſalutavit, in quosnam morbos homines ex ſuo temperamento proni reddantur. Phlegmatici enim Seminium in ſe habent ad morbos ex colluvie ſeroſa, hydropes, aliosque qui ex fibra laxa, debili, torpida, & humoribus pituitoſis oriuntur; Sanguinei ad Plethoram indeque naſcendos morbos inclinant; Choleri ad morbos inflammatorios, bilioſos; Melancholici ad viſcerum obſtructiones, Paſſionem Hypochondriacam, Melancholiam ſimilesque alios. Ut dicta pateant ponamus exemplum: Cholericus in eodem convivio exceſſum faciat cum Phlegmatico & Melancholico, in cibis & potibus. Cholericus quam primum oneratum ſe ſentit hac abundante materia, ut valde agilis & irritabilis, ſtatim ſe componit ut contentum ejiciat vel per vomitum vel per alvum, hocque magno cum impetu fit; in Phlegmatico nihil hujusmodi obtinet, & paulatim ejus vires langueſcunt, & oportet, medicus ſuccurrant dato Emetico aut Purgante naſcetur alias febris lenta, quotidiana. In Melancholico lente agit natura, ſed cum certo ſcopo, & ita, ut corpori non noceat; poſtquam aliquamdiu languit, naſcitur Febris quartana, morbus longus, ſed omnis periculi expers; ſic natura lente procedens, ſuo conatur corpori ſuccurrere, & ſanitatem tandem reſtituit.

In doſibus præſcribendis aliam quandoque & aliam Temperamenti varie-

(*a*) Gaubius Sermone I. de Regimine mentis quod medicorum eſt, pag. 74 & 75.

varietas formulæ ſpeciem poſtulat, prudenter idcirco monuit Tyrones ſuos Gaubius (*a*), Biliofos & Melancholicos, humectantium refrigerantium, laxantium, majorem plerumque copiam ferre absque incommodo, lædi vero contra a minore etiam quantitate contrariorum, quæ tamen majore licet doſi exhibita, Phlegmaticis utplurimum pulchre conducerent.

§. XLVII. Præter memoratas Prædispoſitiones datur & alia, quæ neque ad Ætatem, neque ad Sexum, neque ad Temperamenta relationem habet, ſed occurrit in omni Ætate, in utroque Sexu, in quibusvis Temperamentis; hanc Idiosyncrasin, vel & Idiosyncrasiam dixerunt. Idiosyncrasia mihi dicitur: *propria cuivis corpori conſtitutio, ut lædatur a quibusdam, quæ reliqui homines facile ferunt.* Quemadmodum autem Temperamentorum fundamentum, non in una parte ſingulari, ſed in omnibus ſimul ſumtis quærendum eſſe dixi (§. XLVI.), ſic contra, Diatheſis hæc, raro in totum operatur corpus, ſed in quasdam partes ſingulares; alias enim actionem in cutim exerit, alias in viſcus quoddam peculiare agit; nequaquam vero a priori, ſed ex effectu cognoſci poterit. Innumera proſtant, quæ hic enarrare poſſem exempla, paucas tantum quas Præceptoribus dilectiſſimis debeo, aliasque nonnullas mirabiles prorſus; hic adducere ſpecies ſufficiet. Vidit Illuſt. Gaubius hominem cujus Cutis ab applicatis Pinguibus tota Eryſipelatoſa evadebat. Eximius van Doeveren *Præceptor ad rogum usque colendus*, mihi auctor fuit ſe hominem noſce qui ab aſſumpto *Rob Sambuci*, Eryſipelate faciei & corporis afficitur. Mulier quæ ne quidem a maximis exercitiis ſudaverat, ſimul ac tangeret acum & clavos ferreos tota quaſi diffluebat ſudoribus (*b*). Gaubius Matronam vidit, cui, quotiescumque *Opium* modica doſi aſſumpſerat, nato poſt aliquot dies pruritu, per univerſum corpus Epidermis ſeceſſit, ut per ſquammulas ac lamellas deglubi poſſet (*c*). Juvenem novi qui quoties *Caſeo* veſcitur, Hæmorrhagiam patitur narium. Amicitiam alo cum *Viro Venerando*, cujus brachium, eo momento quo *Vinum* bibit *Rhe-*

(*a*) De Meth. Concinnand. formul. Medicament. pag. 20. *e*. (*b*) Journal des Scavans du 19. Mars 1685. *Edit. d'Hollande.* (*c*) De Method. concinnand. formul. Medicam. pag. 24.

*Rhenanum*, Rheumaticis quaſi afficitur doloribus, per parvum tantum temporis intervallum durantibus. *Virum novi* inquit Celeb. GAUBIUS, *qui, cum fatuum Lapidum Cancrorum pulviſculum ingeſſit, vix mitius afficitur quam alii ab Arſenico* (*a*). BOYLE virum novit qui potu *Coffé* majori afficiebatur vomitu, quam alii a *Croco Metallorum*, aut aliis quibusvis fortioribus emeticis, imo nauſeam patiebatur ab odore hujus potus, quem antea impune aſſumpſerat (*b*). Cl. LITTRE in Actis Acad. Nat. Curioſ. retulit ſe vidiſſe homines, qui odore *Roſarum Pallidarum* per duodecim horas tanta cum violentia purgati fuere, ut crederent ſe ad ſuperos migraturos (*c*). Novi Matronam Virumque nobilem, quibus minor *Pulpæ Tamarindorum* doſis pro draſtico eſt purgante. Vidit GAUBIUS Virum qui *Vino Moſellano* aſſumpto, in Iſchyriam, a ſpasmo colli veſicæ, incidit; ſæpius in ſanitatem reſtitutus, hujus Vini noluit uſum omittere, donec tandem (omnibus Balneo emolliente ipſo fruſtra adhibitis) eadem Iſchyria in CHARONTIS eum præcipitaverit Cymbam. Viro Hydropico, Uxor (tædioſa qui ejus amplexibus frui non poterat) exhibuit *Opii* Drachmam mediam, ut æternum ei conciliaret ſomnum, ſed ob feliciſſimam *Idioſyncraſiam*, *Opium* ſudorifera ſimul cum diuretica egit virtute, ita ut Medicis in hac, a natura ut ita dicam indicata medela pergentibus, brevi cum ſanitate in gratiam redierit, Multi dantur qui *Felis* ſpiritum rectorem ferre nequeunt, licet illum armario incluſum haud videant. Noſcit GAUBIUS hominem, qui ſimul ac Ceraſos videt in animi deliquium incidit. Ex his, multisque aliis, quæ paſſim apud Auctores reperiuntur, exempla, abunde conſtare poterit, ſingularem hanc habitudinem, non ex generali ſanitatum differentia derivandam eſſe, nec per generalia explicari poſſe, ſed ſola experientia aut ægri relatu cognoſcendam eſſe; adeoque recte tanquam *Seminium* ſpectari *Proprium*, quia omnes homines eadem potentia non afficit.

XLVIII. Cavendum tamen quam maxime ne *Idioſyncraſiæ* adſcribatur, quod a conſuetudine pendet; ſæpe enim contingit remedia

non

(*a*) Ibid. pag. 11. §. 30. (*b*) Confer. R. WHYTT *Verhand. over de Zenuwe Ziektens* enz., door L. Bikker, bladz. 9. (*c*) Confer. obſerv. curieuſes ſur toutes les parties de la Phyſique &c. Vol. II. pag. 344.

non producere, quem debebant effectum; in ipſo remedio, vel in ſupra dicta Diatheſi, quæritur hujus phænomeni ratio, ſed immerito. Sæpe enim idem remedium aſſumpſit æger, illi eſt aſſuetus; nervi Ventriculi, qui ab illo maxime afficiebantur dum prima vice uſurparet, ſenſum ſuum ferme integrum amiſerunt, ob iſtius nimis frequentem repetitionem, nec amplius ab illo poſſunt excitari; majori doſi tunc remedium eſt præſcribendum, ut majori mole, at interim eodem modo agens, præſtare queat idem, quod priori ſua efficacia perficere potuiſſet. Eorum quippe, *quibus natura aſſuevit, doſis grandior plerumque lenius agit, quam minor inſuetorum: quod Nicotianæ uſus, exemplo ubivis obvio, commonſtrat* (*a*). Sic viſum eſt *Opii* doſin in eodem ægro augendam fuiſſe a Grano uno, ad Drachmam cum dimidia. Quin imo & nationes univerſæ, hic quandoque quidpiam ſibi vindicant, ſic Saxones, Westphali difficilius moventur aliis (*b*). Siamenses *Poculo Arſenicali*, loco *Antimonialis*; Indi *Ipecacuanhæ* doſi vigecuplo majore, quam Europæi, ad emeſin ciendam opus habent (*c*). Nequaquam tamen de omnibus Toxicis affirmare auderem, ea, diuturniore ſed ſenſim protracto uſu, pro magna parte noxiam ſuam vim amittere poſſe, vererer enim, ne hæc cum *Vitro contuſo* ſimilibusque tentanti, tempus ad abſolvenda deficeret.

Nec temere Idioſyncraſiæ, aut conſuetudini adſcribendi illi effectus Medicaminum, quos mala Pharmacopœorum nonnunquam præparatio (hodie vix niſi Tyronibus imo & Pueris a plerisque peſſimè demandata) producit.

Ut autem Medicus ſe ipſum artemque ſuam commendare, lætioremque præſcripti uſum reddere poſſit, ægri *Idioſyncraſiam* ratione cujusdam Pharmaci aliquando expiſcari convenit, ægrumque interogare quamnam præ reliquis (ſi commode fieri poſſit) amet magis, aut horreat, cuinam aſſueverit, cui minus (*d*)?

§. XLIX. Pleraque enumeratorum Seminiorum (§. XXXI. ad XLVIII.)

(*a*) Gaubius l. c. pag. 21. 9. (*b*) Idem ex Wedelii de compoſit. Medicam. Tab. II. (*c*) Idem ex Hiſt. de l'*Academ. Royale* 1703. pag. 63. Edit. Belg. (*d*) Gaub. de Meth. Concinn. formul. Medic. pag. 15. §. 47.

XLVIII.), pro maxima parte ſedem ſuam habere in Principio Vitali (§. XXV.) non eſt quod dubitem; in plerisque etenim caſibus videtur affici ratione ſuæ ſenſilitatis; hanc quippe invenimus in omnibus partibus, vel manifeſtam vel occultam, licet non uno eodemque gradu. Si conſideremus circulationem, ad minima vaſa productam: ſi ſpectemus opus nutritionis, quod ubique penetrare debet; ſi attendamus ad opus incrementi, quod ad omne corporis punctum ſe extendit, attribuenda certe hæc omnia vi vitali, quatenus hæc talem partem animat; inſuper, hæc ſyſtema muſculoſum in actum deducit, circulationem regit, cet. Quoties non ex dolore naſci videmus febrim, convulſionem? quoties in febrili motu, per conſenſum, Principii Vitalis cum Senſitivo, Cephalalgiæ, cet.? de hac vero harmonia egi (§. XXVI.). *Actuoſum* hoc dum juſto agilius id eſt irritabilis eſt, vel torpidum languet, plurimum potentias nocentes in morborum generatione adjuvare poſſe, nemo negabit; docent morbi convulſivi, motusque febriles dum nimis ſenſile eſt; Torpor vis vitalis vel ad oculum patet in moribundis, dum medicamina effectum non edunt, ita ut ipſum vulgus dum videt veſicantia v. gr. non operari, de ægro conclamatum eſſe dicat. Sanitas autem multifariam admittit differentiam, tam in corpore toto, quam in ſingulis ejus partibus; hanc autem deduco ab *Actuoſo*; quo enim Ætas junior, quo agilius Temperamentum, quo corporis conſtitutio delicatior, tenerior, eo irritabilius principium vitale; quid mirum ergo infantes, juvenes, fœminas, ſanguineos, cholericos, ſenſiliori ſolido vivo gaudere? hoc principium quandoque majus eſt in ventriculo unius, quam alterius hominis, unde Idioſyncraſia, cet.

§. L. Perſæpe hæc Seminia Naturalia Propria tantummodo requiruntur, ſi Potentiæ nocentes magna vi præditæ, ut morbus naſcatur. Quam frequenter V. C. ſenio confectis, ſexu atque temperie delicatis, *Terrores* inducant, Angores, Aphonias, Lipothymias, Tetanos, Tremores, Convulſiones, Epilepſias, Catalepſes, Apoplexias, Paralyſes, Deliria multifaria, morteſque ſubitaneas, quotidia-

tidiana confirmat experientia. Conferantur huc variæ Idioſyncraſiæ, cet.

Jam vero ad examen revocemus

## SEMINIA MORBORUM PRÆTERNATURALIA.

§. LI. Per Seminia quæ ſunt præter naturam intelligo: *Affectiones, quæ ſive congenitæ, ſeu poſt nativitatem contractæ, efficiunt, ut homo perfecte ſanus dici non poſſit, quæque per Potentias nocentes concitari valent ut alios inſuper morbos excludant.* Juſto hinc titulo locum ſibi inter Seminia vindicare poſſe patet ex (§. XIII.). Ordinem eximii Gaubii ſequutus, has Prædiſpoſitiones in tres Claſſes diſpeſco; primò igitur agam, de *Affectionibus Occultis*; deinceps de *Affectionibus Mediis*, denique de *Vitiis Manifeſtis*.

§. LII. *Affectiones Occultæ* dicuntur, talia Seminia, *quæ etſi nihil admodum vitioſi in ulla corporis parte aut facultate prodant; neque etiam ad Seminia* (§. XXI. ad XLVIII.) *pertineant, nihilominus data occaſione, in manifeſtos erumpendo morbos vires ſuas noxias declarant* (*a*).

§. LIII. Primarium hic tenet locum *Diatheſis Hæreditaria.* Uti enim divitiis ita morbis Parentum liberos ſuccedere, innumera evincunt obſervata. Mirum profecto, quod latens in corpore Seminium illud per annos dormiat ſæpe iners, antequam in actum deducatur. Sic Epilepſia hæreditaria ſæpius pubertatis tempore, primo ſe manifeſtat Paroxiſmo, poſtea per totam vitam durans. Idem & de Podagra verum. Quandoque & contingit, Seminale vitium, iners manere in Filio, redire in Nepote; forte quia filius hujus Diatheſis eruptionem, per frugalem & actuoſam vitam effugere potuerit, quam tamen tradidit ſuæ progeniei. Forte in prima origine naſcenti homini talis quaſi character morboſus impreſſus fuit, qui ſuo tantum tempore ſe exerit. Hanc rem conſiderans van Helmont dixit (*b*): *Ergo morbi Hæreditarii inoleſcunt fœtui, ab ente morboſo. Idea nimirum ſpiritui ſeminali impreſſa* (*cum ſit ipſe morbus adhuc in vita prima Seminis deliteſcens & ſigillatus*) *adhuc*

(*a*) Gaubii Patholog. §. 618. (*b*) Cap. de morbis Archealibus N. 15.

*huc dormit, donec expergefactus, ab Archei agitatione, prorumpensque producta ſua parere ſit apta.* Varios autem morbos hosque omnino diverſos, hoc modo propagari, quæ paſſim apud auctores occurrunt exempla, teſtantur. Sic PLINIUS: *in Lepidorum Gente, tres intermiſſo ordine, obducto membrana oculo, genitos accepimus; ſimiles quidem alios Avo, cet. Indubitatum exemplum eſt Nicæi nobilis Pyctæ Bizantii geniti, qui adulterio Æthiopis nata matre, nihil a cæteris colore differente, ipſe Avum regeneravit Æthiopem* (*a*). Vidit Cl. GAUBIUS infantem ſeptem annorum, a *Calculo* ſecatum, monſtrabat Pater Calculum a quo liberatus erat ante 25 annos, ejusdem coloris, ejusdem figuræ, ejusdem ſubſtantiæ, materiei, uno verbo illi infantis omnino erat ſimilis, ſi magnitudinem excipias. Habet BALLONIUS exemplum *Gonorrhœa* laborantis, qui foeminam impregnavit, unde natus eſt infans etiam *Gonorrhœa* afflictus. Divus BOERHAAVE familiam novit, in qua omnes, certo ætatis tempore fiebant *Icterici;* tandem nullis remediis cedente malo, *Hydropici* peribant. In cadaveribus inveniebatur *Hepar Scirroſum* (*b*). Hereditariæ ad *Cordis Aneurismata* conſtitutionis, clarum profecto præbet exemplum *Archiater Pontificius* LANCISI (*c*), in nobiliſſima quadam familia, in qua quatuor ſeſe ordine excipientes generationes, Proavus nempe, Avus, Pater & Filius peſſimo hoc mali genere vexati fuere. Ipſe noſco virum qui *Myops* eſt, & cujus Pater, Avus, hujusque Soror, eodem laborarunt vitio. Pater *Podagricus* duos progenuit filios, molliter educatos, BACCHO & VENERI deditos; natu major in flore ætatis deſiit humanis rebus intereſſe morbo non ſatis noto; natu minor quotidie ebrius variis *Podagricis* inſultibus vexabatur, & quadrageſimo ætatis anno, Apoplecticus, dein Paralyticus ad plures abiit; hic ex duplici matrimonio Filium & Filiam reliquit; in hac veſtigia morbi *Arthritici* non deſunt, & in ſenectute illum patitur; ille vero ex Podagra mota & retroceſſa optima ætate, non diu poſt celebratas nuptias obiit (*d*). Ea autem propagationis ratio merito inter abſtruſiſſima naturæ myſteria recenſetur, ſed cum genera-

ra-

(*a*) Hiſt. Mundi Lib. VII. Cap. XII. pag. 147. *Edit. Dalecampii.* (*b*) VAN SWIETEN Comment. Tom. I. pag. 855. (*c*) De motu cordis & Aneurismatibus, Part. II. Cap. V. Propoſ. XLVII. pag. 281. (*d*) Adverſar. Medico-Practica, Vol. II. parte I. pag. 7. & ſeq.

talem conformationis mechaniſmum ignoremus, quid mirum ſi particulares conformationes nos ipſæ lateant? Id unum certo novimus, liberos, Parentum alterutrui externa oris facie ſimiles eſſe; quin imo & quandoque Luſus Naturæ in ſobolem a parentibus propagari; refert V. Gr. Dilectiſſimus affinis meus J. C. Insfeldt caſum de celebri, quæ apud Germanos vigebat familia, quæ a *Sexto* in utraque manu *digito*, nomen ſuum Bülſinger (quod idem quam Bielſinger) ſortita eſt (*a*). Sic viderunt Pariſini hominem qui *Sex* gaudebat *digitis*, & cujus frater, pater, & avus cum eodem nati erant Naturæ Luſu (*b*). Nonne quoque perſæpe videmus Morum conformitatem, Ingeniique ſimilitudinem, liberos inter & parentes intercedere? Manifeſtum hujus rei exemplum in Puella *Scotica*, latronis Antropophagi filia adducere poſſem (*c*). Ne autem videar diſſertationem de morbis hæreditariis conſcribere, prætereo alia, quæ quoque a parentibus in ſobolem propagantur, mala, qualia ſunt *Hyſtericum & Hypochondriacum malum*, *Nephritis*, *Hydrops*, *Phtyſis*, *Epilepſia*, *Struma*, *Rheumatiſmus* (*d*), *Hæmorrhoides* (*e*), *Apoplexia* (*f*), *Vomitus* (*g*), cet.

Notari tamen meretur Priſcos jam metuiſſe hanc Diatheſin, legitur enim apud Plutarchum: *Veritatem & de quo conſtat, ne in his quidem, quæ ipſi nos agimus, poſſumus certo habere. V. Gr. cur Tabe aut intercute aqua extinctorum Liberos, tantiſper dum cadaver comburitur, ſedere jubemus pedibus in aquam demiſſis? creditur enim ſic effici, ut morbus in eos non tranſeat, neque eos attingat* (*h*). Sic populus Antwerpiensis, tempore quo florebat van Helmont, in illa verſabatur opinione, niſi omnis aqua e cadavere *Hydropico* hauriretur, in proximum Hæredem *Hydropem* migraturum, adeoque ſolliciti erant de ſectione. Longe certe profundiores egiſſet radices *Anatome Pathologica*; ſi tota Euro-

PA

(*a*) De Luſibus Naturæ, pag. 18. & Lettres de Mr. de Maupertuis, Lettre XIII. ſur la Generation des Animaux, pag. 112. (*b*) Hiſt. de l'Acad. des Sçiences, 1751. pag. 77. (*c*) Gaubius ex Hect. Boetii Hiſt. Scot. citat. Marc. Donat. Hiſt. med. mirab. Lib. IV. cap. I. (*d*) Home Principia Medicinæ pag. 25. (*e*) Adverſaria Medico Practica Vol. II. part. 2. pag. 406. & ſeq. (*f*) Morgagni de Sedibus & cauſſis morborum, Epiſt. IV. N. 2. (*g*) Ibid. Epiſt. XXX. N. 7. (*h*) Comment. de his, qui ſero Numine puniuntur, Tom. II. pag. 558.

pa (in qua penuria cadaverum, ob popularem ſuperſtitionem, pro Anatomico de die in diem increſcit) hunc errorem Anatomicis tam utilem aleret. Clara autem jam hujus propagationis exſtat apud Hippocratem, doctrina, & quidem per hæc verba (*a*): *Initium autem ducit* (loquitur de Epilepſia), *veluti alii morbi ſecundum cognationem. Si enim ex Pituitoſo Pituitoſus, & ex Bilioſo Bilioſus oritur, & ex Tabido Tabidus, & ex Lienoſo Lienoſus, quid vetat, ut cujus parentes hoc morbo detineantur, eo quippe & poſterorum aliquis corripiatur? cum nempe genitura ab omnibus corporis partibus procedat, a ſanis ſana, & a morboſis morboſa.* Quantum vero auctores conſentiunt de veritate hujus doctrinæ, tantum diſcrepant de ſede hujus Seminii, quod ut innui, per annos ſæpe iners manet, antequam potentia nocente analoga excitetur; hoc alii in ſolidis, alii in fluidis quæſiverunt. Candide profiteor hic meam ignorantiam; hoc ſaltem addo, quod illi, qui hanc prædiſpoſitionem in ſolidis tantum hærere putant, cogitaſſe non videantur, labem hæterogeneam, lacti nutricum ſæpe ſæpius inſidere, quæ per transplantationem in infantem tranſire poteſt. Dubitetne quis? Nutricem profero, cujus iratæ ubera lactanti pro alimento Venenum inſtillant, horrendis convulſionibus lethale; obſervata, quæ docent, infantes trahentes nutricum ubera, quæ vitio cuidam obnoxiæ erant, ſtatim in ſimilem morbum incidiſſe. Notavit van Helmont Lithiaſin ex nutrice in infantem tranſiiſſe; ſic ſupra jam monui, infantem, qui temulentæ nutricis ubera duxerat, convulſum fuiſſe, dum fermentati liquidi intolerabilem tenello corpori acrimoniam, una cum lacte hauſerat. Ob hanc quoque cauſſam ab omni tempore adeo ſollicite monuerunt medici, ut ſanæ, prudentes, nec in Iram pronæ eligerentur nutrices, quin imo Aëtius jam inculcavit, attendendum eſſe ne nutrix ſit *Epileptica* (*b*).

§. LIV. Ad affectiones occultas quoque referri poterunt morbi, qui per acceſſiones & remiſſiones circuitum faciunt. Multum certe ſeſe torſerunt ingenia optima ut rationem invenirent, quare V. Gr. *Febris intermittens* ſingulis Paroxiſmis hoc faciat vicibus partitis. An dicen-

(*a*) De Morbo Sacro pag. 303. edit. Foëſii. (*b*) Lib. IV. Cap. IV. pag. 67.

dicendum Febrim intermittentem ſingulis Paroxiſmis partem materiæ febrilis ſubigere & de corpore expellere? An vero expulſa omni illa materia, vel ſubacta, certo temporis ſpatio novam renaſci? Ad primam quæſtionem reſpondemus, *Corticis Peruviani* efficacia, ſæpe febrim ceſſare, antequam evacuationes viſibiles ſaltem criticæ contingant, adeoque in tali caſu febris intermittentis ſanationem non poſſe adſcribi expulſioni materiæ morbificæ. Similis difficultas moveri poterit, ſi ſtatuatur, ſingulis Paroxiſmis ſubigi quidem materiam tunc præſentem, intermedio vero inter Paroxiſmum tempore, accumulari novam, ſequentis inſultus unicum fomitem, laborantes quippe quartana, quadrante horæ ante Paroxiſmum omnium optime ſe habent, quo tempore materia morboſa quæ mox tantas excitabit turbas, jam præſto adeſſe deberet. Fateor quidem corruptos humores, indigeſtibiles cibos, & plura alia, quæ apud Boerhaave enumerantur (*a*), febrim excitare, ſed ſunt hæc potentiæ nocentes; requiritur inſuper Seminium. Dabo accumulatam tempore intermedio inter Paroxiſmos febrium intermittentium, materiem quandam, quidem vice Occaſionis fungi poſſe, ſed ab hac longe differt Prædiſpoſitio. Imo & inter ſe latentia hæc Seminia differre debent, nam ab iisdem Potentiis nocivis, a Lardo Ex. Gr. Carne ſale vel fumo indurato, in uno Tertiana, in altero Quartana Febris oboritur, adeoque diverſitatem Febris intermittentis, non a nova illa potentia accedente, quæ in utrisque eadem ponitur, ſed a Seminio, in ſingulis diverſo, pendere exiſtimo. Dum itaque Tertiana autumnalis in Quartanam degenerat, probabile redditur, illud non fieri ideo, quia materies morboſa, longiori temporis ſpatio accumulatur, vel ad agendum cietur, ſed quia mutatum fuit Seminium, licet hæc forte magnam inter ſe habeant affinitatem, cum toties permutari inter ſe obſerventur. Num vero in ſolidis, num in fluidis, vel in utrisque ſimul hæreat, in quibus, & quænam ejus, in ſingulis morbis qui per acceſſiones & remiſſiones circuitum faciunt, diverſitas ſit, explicatu (ſalvo meliori) difficillimum videtur; eadem forte illis, quæ Hæreditariis morbis, ratio.

§. XV.

(*a*) Aphor. de Cognoſc. & Curand. Morbis §. 586. Confer. Rega de Sympathia Cap. XIV.

§. LV. Nonne idem ſtatuere liceret de illis morbis, qui dum ſemel hominem affecerunt, ſæpius dein redeunt, & talem, præ aliis, qui his ſemper vixere immunes magis affligunt? Sic enim videmus ab *Apoplexia* curatum ægrum, haud raro ſæpius in hunc iterum incidere morbum, imo denique ipſo perire; idem dictum velim, de *Pleuriticis*, *Anginoſis*, *Hydropicis*, cet. An vero potius ad affectiones medias relegandi? an dicendum quod vaſa, uti in multis morbis notum eſt, relaxata, nimiam dilatationem, inflammationem, irritationem, cet. paſſa, per morbi decurſum, ſæpe quodam, etſi minori gradu, in convaleſcentibus ſic perſiſtere, ut corpore ita mutato, facilius poſtea iisdem corripiatur morbis?

§. LVI. Sequuntur jam *Affectiones Mediæ*, quas & *Neutras* appellare poſſem; *quæ reapſe quidem præter naturam ſunt*, *talesque ſe per ſua ſigna produnt*; *nec tamen ita graves*, *ut vulgo pro morbis habeantur*, *cum functiones vix turbent.* Documento ſit Plethora. Plethoricus non dicitur æger, dummodo functiones non lædantur, proprie tamen loquendo ſanguinis illa abundantia, in Plethorico eſt præternaturalis; leviores quippe alienationes, ferre corpus poteſt, ut non ſtatim ideo in morbum incidat. Sic pruritus proprie morbus non eſt, ſed maxime incommodat & proximus eſt dolori. Poſſunt autem hæ affectiones, ſi increſcunt, aut ſi alia, vel Seminia, vel potentiæ nocivæ ſe illis jungant, in morbos proprie dictos abire. Exemplo ſint Pulmonum vaſa teneriora; homo hæc diu absque noxa ferre poterit, ſi vero ſanguinis volumen augetur, vel ſi pravas inducit qualitates, vaſa rupta ſanguinem fundunt.

Non multum his affectionibus immorabor, quoniam auctores omnes, æque Pathologi quam Practici, illos fuſe admodum pertractarunt; breviter itaque præcipuas exponere conabor.

§. LVII. Primum dabo locum Solidorum debilitati, quæ dicitur, *Materiæ Solidum componentis niſum in cohæſionem*, *tam parvum*, *ut ferre motus nequeat qui ſanitatis effectu fiunt vel non multo majori.* Rem rurſus exemplo illuſtremus. Ligamentis uteri rotundis valde laxis, debilibus, facillime fœmina laborabit uteri non inverſi prolapſu,

præ-

præprimis ſi accedant Thermopotiæ, Suppedanea, vel & Fluores Albi diuturni. Sic corpus nimis laxum, minus ad reſiſtendum robur habens, facillimè Herniis anſam dabit. Hæc autem notitia magni momenti eſt in Praxi; in *Leucophlegmatico* v. gr. corpore, cura non tantùm per evacuantia inſtitui debet, ſed indicatur quoque corporis roboratio, ni Æthiopem lavare velis. Hæc quoque debilitas Seminium eſt, *Cacochymiæ*, *Cachexiæ*, *Hydropis*, *Chloroſis*, cet.

§. LVIII. Contrarium priori vitium eſt ſolidorum rigiditas, per quam intelligimus, *illam materiæ ſolidum componentis adunationem, qua tam valide cohæret, ut magis quam ſanitas requirit, ſuæ reſiſtat diſtractioni* (§. XXXIV.). Ex ratione contrariorum, facile hæc affectio intelligi poterit. Exemplum præbeat ſanguinis circulatio: Arteriarum omnium fibræ adeo flexiles eſſe debent; ut ſanguinem vi cordis expulſum, diſtenti accipiant, ſi ergo vaſa infinita vi reſiſterent ſuæ dilatationi, non poſſet Cor evacuari, actum ergo eſſet de vita; requiritur itaque talis laxitas, ut cedere poſſent diſtendenti ſanguini; quo nunc jam fiunt rigidiores illæ fibræ, eo major fit reſiſtentia; ſic ruſtici, qui a teneris jam annis, validiſſimis exercitiis ſuum indurarunt corpus, quadrageſimo plerumque anno, jam ex ſucci & rigidi, maraſmo ſenili, humanis rebus intereſſe deſinunt; labor quippe nimius corpora exſiccat, omniaque rigida reddit; quam frequenter hæc affectio corpus ad morbos acutos inflammatorios pronum reddat, non eſt quod multis hic adſtruam argumentis.

§. LIX. Inter Seminia Præternaturalia Neutra, infimum certe locum non obtinent Principii Vitalis affectiones, hæ etenim tantas in corpore exerunt turbas, ut merito quis dubitare poſſet, an non inter omnes primum locum illis concedere debeamus; peccat autem principium hoc, primo exceſſu, qui *Irritabilitas* audit, quam non ſine veneratione nominandus Præceptor dicit: *Solidi vivi tantam ſenſilitatem, ut levibus ſtimulis in motus erumpat enormes, quibus æquabilis functionum tenor perturbetur* (*a*). Intelligit itaque Cl. Vir *Irritabilitatis* no-

(*a*). Gaubius Pathol. §. 190.

nomine vitium quoddam, uti & Latina vox præ ſe fert. Si poſt levem ciborum exceſſum, ventriculus ſtatim *Vomitum* patitur, hunc irritabilem vocamus. Si homo ex Athomoſphera calida in aërem humidum proveniens, ſtatim in Coryzam incidit, dicimus ejus Membranam Schneiderianam irritabilem. Refert a ſe viſam Saniſſimam decem annorum Puellam, Illuſt. VAN SWIETEN, a Parentibus, nunquam *Epilepſiam* paſſis, natam, hanc *Paroxismo Epileptico* correptam, dum ludendo humi decumbentem, ſub plantis pedum, diu titillaſſent aliæ quædam Puellæ, aliis illam immotam vi retinentibus; illam poſtea, dum titillationis minas tantum intentari videret aliis, mox cecidiſſe *Epilepticam* (*a*).

§. LX. Idem Principium peccare poteſt defectu, hic & *Torpor* a Pathologis dicitur, & ponit, *ſolidi vivi imminutam vario gradu ſenſilitatem, hinc ad irritamenta niſus in contractiones tam parvos, ut non ſufficiant iis producendis motibus, quos Oeconomiæ ſalus poſtulat* (*b*). Hujus defectus exemplum jam exhibui (§. XLIX. pag. 38.); ſic ſi corpus ſeroſa colluvie oneratur, omnia ſolida habent vim vitalem torpentem.

§. LXI. In omnibus noſtris cavis quousque certos continere ſuccos debent, certa datur menſura, quæ ſanitati accommodata, id eſt, quod cavitatis lumen nec juſto majus, nec juſto minus ſit, ſed medium inter bina hæc extrema detur. Sic Arteriæ, Venæ, Primæ Viæ, ad Syſtema Urophorum, Biliferum, Spermaticum pertinentes canales, habent hic ſuum in ſanitate modum. Facile autem a diverſis potentiis nocivis, modus ille perverti poterit, imo, quod adhuc absque morbo geſſerat homo Præternaturale Seminium, in morbum, levi quandoque occaſione nata, erumpit. V. gr. Ἔρυσμα, (cum parietes cavitatis nimium inter ſe diſtantes, ſpatium juſto capacius circumſcribunt) fieri poterit Διαπήδησις, dum Ex. c. contenta materies magna valde vi in latera agens diſtrahit fibras, membranas cavitatum contexentes, & a mutuo contactu removet, ut absque continui ſolutione, interſtitia hiantia naſcantur, quæ textilis

(*a*) Tom. III. pag. 402. (*b*) GAUBIUS l. c. §. 196.

tilis ad inſtar, tranſudare ſinant humorem, qui contineri debuerat (*a*). Miræ certe circa hanc Διαπήδησιν, in hiſtoria medica proſtant obſervationes. Virgo quædam viginti duo annorum probe menſtruata, hæmorrhagiam patiebatur copioſam, e Malis & Brachiorum parte exteriore paulo ſupra carpum, absque ulla continui ſolutione, vel vulnere vel ulcere (*b*). Refert Celeb. Astruc de Matrona quadam nobili, cui, ex ictu pridano fronti inflicto, ſanguis, a ſuprema frontis parte, per horæ fere ſpatium, rivuli inſtar, profluxit, ſine ulla cutis ruptura, quæ deterſo cruore conſpici poſſet (*c*). Si jam contenta diſtendentia, vim maximam cohæſionis viribus inferunt, perforentur cavorum parietes, ob fibrarum cohæſionem vere ſolutam, hæcque continui ſolutio ῥῆξις audit (*d*).

Veteres certe in morbis continentium deſcribendis, tam pulcre præiverunt, ut recentiores vix aliquid ſuperaddere potuerint; præcipue autem veterum Medicorum *Secta Methodica*, clariſſima in his ſectæ ſuæ fundamenta poſuit, ut videre eſt in Cælio Aureliano, in Celsi præfatione, & alibi. Semper enim loquuntur de *Stricto* & *Laxo*, quia cava vel *Laxa* erant dum dilatarentur, vel *Stricta*, ſi ultra modum conſtricta vaſa, diminuerent magnitudinem.

§. LXII. Quam maxime hic ſibi locum poſcunt, malæ corporis conformationes, quæ uberrimum plurimorum morborum fontem ſiſtunt.

Quantæ ſit in variis hominibus, ſtaturæ & conformationis diverſitas notum eſt (*e*). Illam vero ſtaturæ diſcrepantiam, in colli longitudine uti & femorum & crurum præcipue quærendam eſſe puto; truncus quippe corporis in binis ſæpe hominibus, ejusdem menſuræ eſt, dum unus alterum, pedis & ultra longitudine excedit. Licet multæ ſint naturæ aberrationes, quæ adeo ſanitatem non læ-dunt,

(*a*) Idem l. c. §. 203. N. 1. 3. 4. (*b*) Vid. Celeb. Astruc Tract. Pathol. pag. m. 197. citat. B. de Moor in præfat. de Medic. inſtauratione præfixa.

(*c*) l. c. (*d*) Qui de cavorum morbis plura velit adeat Gaubii Pathol. capit. de morbis Solidorum continentium. Vidire quoque hac ſuper re poterit Doctus Willet de fonte naturali morborum. (*e*) Conſuli hic meretur Agnati mei Insfeldt Diſſert. *de Luſibus Naturæ.*

dunt, nonnullas tamen quandoque magnorum morborum fieri Seminia, obſervatione conſtitit Practicis (*a*). Quin imo priſcis jam temporibus, Divus, hoc perſpexit HIPPOCRATES, dicens: *Permultæ tum intra, tum extra corpus exiſtunt figurarum formæ, quæ pro affectuum ratione maximopere differunt, tam in ægris quam in bene valentibus; velut Capita parva aut magna, Cervices graciles aut craſſæ, longæ aut breves, Ventres longi aut rotundi, Thoracis & Coſtarum latitudo aut anguſtia, quorum omnium differentias noviſſe oportet* (*b*). Exempla rem ornatiorem reddent. Qui Cervicem longum, Thoracem planum & anguſtum, Scapulas depreſſas habent, ad *Phtiſin* prædisponuntur. Nec mirum, quippe quo major Cranii baſeos a corde diſtantia, eo Sanguinis per vertebrales & carotides arterias minor impetus, moderatur ergo quandoque plus quam par eſt. Quo planior Thorax, eo cavum ejus erit anguſtius, ideoque & Pulmones minus dilatari poterunt, & per Pulmonum vaſa minori cum facilitate tranſibunt humores, hinc magis urgebunt vaſorum latera.

Cum autem Coſtarum arcus minus convexæ ſunt, hinc a Scapulis magis dimoventur, ideoque & illæ alarum inſtar prominent. Hos autem merito GALENUS vocavit φθινώδεις, qui nempe idonei ſunt hunc morbum pati, licet nondum Phtiſi laborent (*c*). His ſignis & uſus fuit CHRIST. BENNET ut futuram cognoſceret Phtiſin (*d*). *Scapulæ acuminatæ, Præcordia contracta, Cervix gracilior & oblonga.* Simile quid locum habet in *Apoplexia* cujus Seminium ſalutiferus BOERHAAVE deſcribit (*e*): *Nativa corporis fabrica, Caput magnum, Collum breve, ſex modo Vetebris inſtructum.* Cum enim Cordis motus, & Arteriarum a ſanguine impulſo dilatatio validiores ſint prope Cor, quam in partibus a corde magis diſſitis, luculenter unicuique patet, eo ſanguinem validius urgeri per vaſa Encephali; eo magis dilatari hæc vaſa quo capiti propinquiora. Hanc rem conſiderans VAN HELMONT dixit (*f*); *brevitas ergo Colli brevitatem viæ, ac promptitudinem a Præcordiis in Caput*

(*a*) Vid. hic Cl. TIMMERMANNI Tentamen Sciagraphicum Tractationis Pathologico-Medicæ de notandis circa naturæ in humana machina Luſus. Duisburgi 1750.

(*b*) Libro de priſca Medicina pag. 18. Edit. Foëſii. (*c*) Comment. I. in Librum Epidemicor. (*d*) Tabidorum Theatrum pag. 99. (*e*) Aphor. de Cognoſc. & curand. morb. §. 1010. (*f*) In Libro de Lithiaſi Cap. IX. N. 64.

*put, pro Apoplexia requiſitam ſubminiſtrat.* Videntur & tales homines *Caput magnum* habere, quia turgida & inflata facies eſt; magnitudinem etenim Cranii, vel capacitatem verſus occiput, inter ſigna optimi habitus recenſet Boerhaave (*a*). Sic Pelvis nimis anguſta, ſive per artem, ſive per naturam, Seminium Præternaturale in fœminis eſt, ſi fœminæ tali donatæ Pelvi, concipiunt, fœtusque increſcit, ſpatium requirit amplius, in quo ſe collocet, hæ fœminæ magis in Abortum pronæ redduntur. Sic gibboſitas facile Aſthma inducit; obſervarunt quoque ad eundem hunc morbum prædiſponere obeſitatem, gracilitatem vero ad laterum dolores (*b*). Mira naturæ aberrantis Miracula, ad morbos prædiſponentia, adeo ſæpe latent, ut non niſi poſt mortem innoteſcant, de quibus conſuletur olim *Italiæ Jubar.* (*c*) Aliquando caſu ut ita dicam fortuito durante vita ſe manifeſtant. Præclarius hic exemplum non novi quam *unicum* illud, quod in *Theſauro Albiniano* poſſidet locupletiſſimum Leidense Theatrum, puto dentes duos inter naſum & oculorum orbes incluſos, quibus oſſa maxillaria ad eminentem naſum pertinent. Hanc aberrationem deſcribens ſummus Albinus addit (*d*); *qui vivente hoc homine, tumore extus intusque deformatum naſum juxta orbes oculorum viderunt, illis an facile fuiſſe credas conjicere dentes intus latere, exemplo nondum moniti. Potuit homo ibi ex dentibus laborare. Accipiant igitur Medici quod jam aliis antea docti ſunt, etiam hoc argumenti, quam difficilis eſſe poſſit, cognitio cauſſæ, quæ vitium, aut malum corporis efficiat.*

§. LXIII. Potiſſimum quoque hic conſiderationem merentur Fluidorum vitia, cum abſoluta, tum relativa; recentiorum plerique, æque in fluidis quam in ſolidis morbos ponunt, dum veteres in illis cauſſas potius morborum quæſierint; nec forſan ita male, *quum ſolitarie plerumque illibata ſanitate ferantur, nec niſi læſis demum ſolidis in morbum erumpant* (*e*). Vitia nunc hæc abſoluta dicuntur, dum in ſe ipſis ſeorſim ſpectantur humores. Superfluum foret, horum vitiorum, integrum

(*a*) Inſtitut. Medicæ, §. 885. N. 5. (*b*) Home Principia Medicinæ pag. 24. (*c*) Vid. Index III. præmiſſ. Morgagni de Sedib. & cauſſis morbor. per anat. detectis. (*d*) Annot. Acad. Lib. I. Cap. XIII. & Tab. I. Fig. IV. (*e*) Gaubii Pathol. §. 267.

grum exhibere Catalogum, nec Diſſertationis limites, qui ſatis jam extenſi ſunt, id permittunt, videantur itaque auctores Practici, qui fuſe admodum de illis egerunt & præprimis GAUBII *Aureæ Inſtitutiones Pathologiæ Medicinalis* (*a*). Idem dictum velim de humorum vitiis relativis, id eſt, comparatis ad partes ſolidas, quibus continentur (*b*). de utrisque ſpeciebus tantum exemplum adducam. Ponamus ſpiſſitudinem, quæ obtinet, dum principium aqueum, cui omnes ſuam debent humores fluiditatem, minori copia ad craſſamenti rationem datur; ſi hæc ſpiſſituto adeſt, levibus quandoque occaſionibus, dum motus corporis major inſtituitur, dum calida aromatica aſſumuntur, dum homo Ira excandeſcit, cet. peſſimi oboriuntur morbi inflammatorii acuti. Relativa humorum vitia ſequens illuſtrabit exemplum, ex *Plethora ad ſpatium* petitum: homini ſaniſſimo, caſu vel arte auferatur bracchium, ſimul & aufertur de ſyſtemate continentium & contentorum pars; hucusque omnia æqualia ſunt; dum autem homo pergit ſanus eſſe, natura conatur perditum reſarcire & recuperare; priorem ſanguinis copiam conficit, aſt partem continentem ablatam renovare nequit, interim jam abundat ſanguis, qui ante ablatum artum ſuffeciſſet; quam maxime itaque attenti ſint Chirurgi, ut tali in caſu, in tempore vena ſecetur, ne æger in apertum deducatur discrimen, ſicque tandem vitam cum morte commutet.

Hæ Affectionum Mediarum præcipuæ ſunt. Ex allatis autem exemplis patet, totidem eſſe Seminia quæ ocius ſerius, data occaſione, ſui generis morbos excludere valent.

LXIV. Conſiderabo nunc *Vitia Manifeſta*, *quæ uti morboſis effectibus*, *palam ſeſe declarant*, *ita vel ſponte*, *vel aliarum poteſtatum concurſione*, *in morbos alios*, *ſpecie diverſos*, *degenerare queunt* (*c*). Talia igitur hic intelligo vitia, quæ ab omnibus pro veris habentur morbis, & ita manifeſta ſunt, ut unusquisque dicat hominem morbo obnoxium; ſed cavendum ne confundantur cum morborum Symptomatibus.

Huc referuntur *Morborum Metaſchematiſmi*, quo vocabulo primus uſus fuit STAHL, (quaſi diceres *transfigurationes*, *transmutationes morborum*,) exitusque in alios morbos. Cum uti CICERO MEDICUS pulcre mo-

(*a*) l. c. §. 269. (*b*) l. c. §. 383. (*c*) l. c. §. 621.

monet, *Medicina ægris ſanitatem promittat* (*a*), morborum exitus in ſanitatem, omnium fauſtiſſimus habebitur; talem autem optatam terminationem, naturam non ſemper moliri, ſed morbum primarium, ſibi permiſſum vi ſua in aliud genus ſeſe convertere, adjutus conſtitutione hominis vel partis quam occupat, ab omni ævo obſervata docuerunt practica. Fœmina V. Gr. *Scirro* laboret *Mammarum;* induratio hæc hactenus mitis & inertis corporis inſtar, in vaſis vel receptaculis infarctus hærens, putreſcendo majorem contrahit acrimoniam, loca quibus continetur erodit; vel in mulieribus, quæ manu victum ſibi comparare debent, atteritur ad vaſa vicina, illave premit Scirrus contiguus, hæc inde inflammantur, atque toties fat cito ſæpe *Scirrus Mammæ* in *Cancrum*, omnium, quibus C. H. affligitur, calamitoſiſſimum morbum degenerat. Scirrus ergo hic fuit Seminium Cancri, accedentibus nempe enarratis potentiis nocivis in hunc dolendum certe morbum, verſus eſt. Sic homo dum laborat *Inflammatione*, hæc abire poterit in *Suppurationem*, quam eleganter ſequentibus Divus Boerhaave deſcripſit verbis: *ſi humor fluens fuerit blandus*, *motus citatus*, *obſtructio magna*, *nec reſolvi potens*, *auctis* Inflammationis *Symptomatibus*, *vaſcula diſtenta*, *rupta*, *cum dolore*, *calore*, *pulſu*, *tumore*, *liquores ſuos effundunt*, *ſolvunt*, *putrefaciunt leviter*, *ſolida tenera atterunt*, *ſolvunt*, *fluidis miſcent*, *in unum album*, *ſpiſſum*, *glutinoſum*, *pinguem humorem*, Pus *dictum*. *Hæc Suppuratio alter modus quo terminatur Inflammatio* (*b*). Dum itaque Abſceſſus adeſt, deſinit Inflammatio, quæ tamen Suppurationis non dici potet cauſſa, ſed tantum Seminium. Homo *Calculo* laboret veſicæ urinariæ, Calculus ipſe eſt morbus, ſed ſimul eſt Seminium, quod ad alium prædisponit morbum, ſi Ex. Gr. Calculus, duritie, figura, motu, preſſione, aliave ratione munere ſtimuli mechanici fungens, Cyſtitidem producit.

Morborum qui in alios exeunt morbos, varia adducere poſſem exempla. Sic Aſthma Hydropi; Remittens vel Intermittens Febris malo Hyſterico vel Hypochondriaco, tumori Lienis, & Hydropi; Colica Paralyſi; Variolæ & Morbilli oculorum Inflammationi & Phtiſi (*c*), Hæmoptoë Phtiſi, cet. viam ſternunt. Illos qui Rachitide

(*a*) Celsus in ipſo initio Præfationis. pag. I. (*b*) Aphor. §. 387.
(*c*) Cl. Home Princip. Medicinæ, pag. 25.

tide in infantia afflicti fuerunt, nec perfecte ſanati, in conſiſtenti ætate Aſthmaticos, vel & Cachecticos, aut Phtiſicos perire, vel ſaltem Gibboſos, Nanos, Curvos, aut aliter deformes, poſtmodum ſupereſſe obſervavit Glisson (*a*). Fœmina ſuppurato admodum Pulmone laborans, a longo die tuſſiculoſa, ſpasmum in ſiniſtro linguæ latere experitur, doloremque vehementem, & tandem Paralyſin; hæc ibant, redibant, prout vomica tunc ſe rumpens magis ſeſe minusve evacuaret, ita quidem, ut per ſesquiannium hoc malo ferme libera, eodem denuo, ſubſiſtentibus ſputis, affligeretur (*b.*)

§. LXV. Notandum vero, naturam hominis non raro omnibus ſuis viribus cauſſis morborum non modo reſiſtere, ſed vim vi opponentem cum his congredi, unde motus quandoque inſoliti, morbo concitatis turbis majores. Huc quoque referri merentur *Morborum Metaſtaſes*, quæ vel bonæ, vel malæ; dum V. C. Pleuritidis materies in ſuppurationem verſa, de loco in locum transfertur, ſi transpoſitio fit ad Parotides Glandulas, bona ſalutatur, ſi vero ad membranas Cerebri, peſſima habetur. Idem fer judicium de materia Rheumatica, Arthritica, Scorbutica, Podagrica, cet.

§. LXVI. Medicus etiam idoneis aut non convenientibus remediis morbum mutare poteſt, ſi Ex. gr. calidam in acuto inflammatorio adhibet medelam, morbus Petechialis inde naſci poterit; calidiore regimine tractatos, qui morbillis laborabant, in lethalem Peripneumoniam incidiſſe doluit Sydenham. Si homini Plethorico vel & Hernioſo vomitoria exhibet practicus, ſi Phtiſico purgantia præſcribit draſtica, quam dira inde mala! ſi Pleuriticum, ubi videt morbum reſolvi non poſſe, debilitat repetitis ſanguinis miſſionibus, non poterunt vires naturæ ſufficere, ut Abſceſſum forment.

§. LXVII. Nec raro Symptomata ipſa ſunt Potentiæ nocentes morbum aggravantes; ſi in Variolis puſtula ad Corneam naſcitur, ſique Practicus non curat, ne puſtula hæc tenuem rodat Corneam, cicatricem contrahit, qua Cornea obſcurata, ſuam pelluciditatem amittit, naſci-

(*a*) De Rachitide Cap. XXIII. pag. 289. (*b*) Celeb. A. de Haen Rat. medendi, Part. I. pag. 186. Edit. Leidenſis.

naſciturque *Leucoma.* Si per magnam Hæmorrhagiam, nimis depletur vaſorum Syſtema, Hydrops toties ſequitur.

§. LXVIII. Sæpiſſime etiam quod reliquum eſt de morbo parat recidivum, & Seminium ponit, quod neglectum levi occaſione denuo in morbum abit; inde & Medici prudentes, ægros non dimittunt, antequam eliminatum eſt omne id, quod ſuperſtes eſt, ſive in ſolidis, ſive in fluidis, ſive in Principio Vitali hæreat. Manifeſtum id redditur in Variolis: poſtquam hæ ſupparatæ ſunt, omniaque peſſima Symptomata ablata, remanet tamen toties de illo Veneno Varioloſo aliquid; hoc natura in Celluloſam deponit membranam, ſic naſcuntur illi Furunculi, qui adhuc per plures hebdomadas hominem miſere torquent. Sic in Morbillis dum morbus videtur ad finem perductus, aliquid in Pulmonibus remanet, homines tuſſiunt, & naſcitur morbus pejor priori, incident nempe in Ulcus Pulmonale unde fere certo, ad ſuperos migrabunt.

§. LXIX. Si jam Potentia nocens concurrit cum Seminio Præternaturali, Seminio potius quam occaſioni adſcribendus morbus, quoniam innoxiæ res nonnaturales, cum hoc in morbi cauſſam concreſcere poſſunt. Sic bini homines Tibiam cuidam allident obſtaculo, alter ſaniſſimus, facile & brevi ſanabitur; alter vero ſit Scorbuticus, hinc habet Seminium Præternaturale, & difficulter hoc vulnus ſanabitur; licet utrisque eadem fuerit potentia nocens, remanebit Ulcus & Ichoroſa naſcetur materies. Sic caro Suilla, Vinum Rhenanum innumeris non nocet, Podagricis quam maxime.

§. LXX. Notari profecto meretur quandoque potentias nocentes morboſa creare Seminia licet nullum ſeminale prægreſſum fuerit vitium; hæc tunc Seminia rurſus cum illis concurrunt, ut morbum conſtituant. Homo laute & opipare vivens, ſomnos trahens longos, a curis liber, Plethoricus fiet; ſi in eodem vitæ regimine pergit, eædem hæ potentiæ nocivæ concurrent cum Præternaturali Seminio, Plethorà nempe, & in morbos inde profluentes abibunt; ſi vero homines bonam ſervant Diætam, valetudinarii ipſi vegetam ad canos usque agunt vitam, ut proprio exemplo docuit nobilis CORNARUS.

LXXI. Singulare aliquando eſt Seminia Naturalia Propria, morboſis accedere debere, ut hæc apta reddantur in morbum abeundi; præcipue hoc videmus in morbis hæreditariis (LIII.). Idem quoque docet, Scirrus Mammarum, qui per viginti annos abſque magno incommodo ſæpe ſervatur, menſtruis autem deficientibus in dolorificum cancrum mutatur?

§. LXXII. Tempus eſt quo tendo curſum dirigendi, ut hoc facilius fiat, Portum conſequamur. Fallor autem B. L. quum Portum jam teneam. Ex hucusque nimirum allatis unicuique ad oculum patet, quam momentoſa ſit Medico rationali Seminiorum conſideratio, in natura nempe morbi ſcrutanda, requiritur eorum non minus, quam poteſtatum nocentium, naturæ inveſtigatio, ut mutua eorumdem Sympathia, Antipathia, quidque invicem agere ac pati poſſint, perſpiciatur. Præterea nonniſi hac doctrina rite applicata, poteſt dari ratio, quare homo unus præ altero, ſub iisdem vivens conditionibus, magis minusve in morbum proclivis ſit; prout autem homo plura in ſe habet Seminia ad morbum disponentia, vel pauciora, aut prout habet Seminia tantum Communia, vel Propria, etiamſi non morboſa, facilius vel difficilius in morbum prolabitur. Morbus etiam non tollitur, niſi ſimul omnes conditiones, quibus fovetur, Seminia nempe & potentiæ nocentes, auferantur, *quod cum in morbis multum complicatis aut inveteratis, rariſſime ſimul obtineri poſſit, aliarum poſt alias correctio ſuſcipi debet; ut minutatim deteratur, quæ uno impetu ejici nequit, cauſſa mali. Si quæ porro morboſa Seminia ſuperſunt, quæ tollere nefas, ſopire tamen & hæc averſis nocentibus potentiis licet* (*a*).

LXXII. En B. L. quæ de SEMINIIS MORBORUM dicere neceſſe judicavi, quum itaque me, penſum meum abſolviſſe exiſtimem, vela contraho, lætusque dico.

## SAT EST.

(*a*) GAUBIUS l. c. §. 632.

THESES.

# THESES.

I.

*Plurimæ Cauſſarum diviſiones ex Pathologia eliminandæ ſunt, unica quippe tantum datur Cauſſa morbi, ex binis conſtans Principiis, ex* Seminio & Potentia Nocente.

II.

Seminia *male vocantur Cauſſæ Prædisponentes.*

III.

*In definitione Morbi, neceſſario mentio fieri debet de* Vita.

IV.

*Alcalinum Spontaneum in C. H. absque Putredine dari poteſt.*

V.

*Mors æque naturalis eſt quam Vita.*

VI.

*Mirum eſt non plures poſt partum mori Infantes; ob ſolam quam ſubeunt mutationem.*

VII.

VII.

*In Apoplexia raro exhibendum Vomitorium.*

VIII.

*In Apoplexia Pituitoſa nocet V. S.*

IX.

*Nec cum* Blackio *ſtatuere poſſum aëri fixato, nec cum* Meiero *acido pingui,* Calcem Vivam *ſuas dotes debere.*

X.

*Contrectabilitas nihil ad eſſentiam Alcali Volatilis facere videtur.*

XI.

*Omnia corpora potius ad duo, Organicum nempe & Inorganicum, quam ad tria, reducerem regna.*

# HONORI, ET MERITIS

# JOANNIS RÔBOL,

DUM

IN ACADEMIA LEIDENSI

*Lauream Doctoralem conſequeretur die* 18 *Februarii*

MDCCLXXIV.

Herbarum cultor meritò per Semina primùm
Scrutatur Plantas: Truncum, Frondesque, deinde
Flores, Radicem, novit cum Stamine Fructus.
Sic bene victurus Morbos, cunctamque malorum
Oppugnaturus turbam Robôlius, ipſa
*Semina* Morborum primò, *Viresque Nocentes*
Aggreditur, monſtrans nati incunabula morbi.
  Hinc adeo Vatem precibusque oracula poſcens
Ipſe canat, vocemque volens, atque ora reſolvat.
  Non infauſta canens tandem præſagit: In arte

H Pæo-

PÆONIA Princeps primævo à flore juventæ
Ille erit: Hic morbi poterit cognoſcere *Semen*,
Tollere, & *Effectum* ſubitò, dum cognita *Cauſſa* eſt.
Principiis obſtare valet, Medicina paratur
Serò, radices mala dum fixere profundas,
Decurſus Morbi finisque ab origine pendet.
Quantus apud Batavos eſt GAUBIUS arte medendi,
Inter Diſcipulos tantus MACHAONIA in arte eſt.

*Ita Cecinit Agnato ſuo.*

J. C. INSFELDT,
MED. DOCTOR.

Dieweil Herr JOAN ROBOL durch Studirn tag und nacht:
Sich heute alsdann des loobeerswurdig macht.
So kann ein treuer Freund nicht ohne Regung bleiben:
Dies zeichen ſeiner pflicht glükwünſchend bey zu ſchreiben.

❀ ❀ ❀

Der müntern kräffte erſter ſchweis:
Der Jügend Jahre früher fleis.
Gleicht denen aüsgetraüten ſaaten:
Und läſt bey laüher lüfft ſo blüth als früchtgerathen:
Bleibt gleich von ihnen Keine ſpühr
Entwikelt ſie doch die natur.

❀ ❀ ❀

Freünd dis ſchildert deinen ſtand:
Hygene machet itz bekandt
Das deine fruche reif geworden:
Des alters angewande zeit
Der lehrlings Jahr beſchwehrlechkeit
Belohnt den vorzüg heut von dieſen lehrerorden.

❀ ❀ ❀

Drum eyle nur mit frohen ſchritten:
Das Recht des lorbeers zü erbitten
Welch Dir die lehrer zu geſtehen:
Nim/ eyle jenen noch zu retten
Hörſt Du ihn nicht aus ſeinen betten:
Des neuen Artztes beyſtand flehen?

M. J. W.
Med. Studioſus aus Manheim.